MASTER
NEGATIVE
NO. 91-80262-3

AUTHOR:

SUSEMIHL, FRANZ

TITLE:

DE CARMINIS LUCRETIANI ...

PLACE:

GRYPHISWALDIAE

DATE:

1884

Master Negative #

91-80262-3

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books        FUL/BIB   NYCG91-B71190           Acquisitions     NYCG-AE
Record 1 of 0 - Record added today
+
 ID:NYCG91-B71190    RTYP:a    ST:p    FRN:      MS:        EL:        AD:08-06-91
 CC:9668  BLT:am      DCF:?    CSC:?   MOD:      SNR:       ATC:       UD:08-06-91
 CP:nyu     L:lat     INT:?    GPC:?   BIO:?     FIC:?      CON:???
 PC:r      PD:1991/1884        REP:?   CPI:?     FSI:?      ILC:????  MEI:?   II:?
 MMD:      OR:     POL:     DM:     RR:          COL:       EML:      GEN:    BSE:
 040       NNC‡cNNC
 100 10    Susemihl, Franz, ‡d1826-1901.
 245 13    De carminis Lucretiani prooemio et de vitis Tisiae, Lysiae, Isocratis,
          Platinis, Antisthenis, Aleidamantis, Gorgiae quaestiones epicriticae‡h[
         microform].
 260 0     Gryphiswaldiae, ‡bTypis Frid. Guil. Kunike, ‡c1884.
 300       22 p., ‡c27 cm.
 LDG       ORIG
 QD        08-06-91
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 13 3/4 X

IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB

DATE FILMED: 9/18/91 INITIALS M.D.C.

FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910

301/587-8202

Centimeter

Inches

S. Emili

…lle car[illegible] [illegible] …ecetiani
proemio

INDEX SCHOLARVM

IN

VNIVERSITATE LITTERARIA GRYPHISWALDENSI

PER SEMESTRE AESTIVVM

ANNI MDCCCLXXXIV

A DIE XV MENSIS APRILIS

HABENDARVM.

INSVNT

FRANCISCI SVSEMIHL DE CARMINIS LVCRETIANI PROOEMIO ET DE VITIS TISIAE LYSIAE ISOCRATIS PLATONIS ANTISTHENIS ALCIDAMANTIS GORGIAE QVAESTIONES EPICRITICAE.

GRYPHISWALDIAE
TYPIS FRID. GVIL. KVNIKE
MDCCCLXXXIV.

VNIVERSITATIS LITTERARIAE GRYPHISWALDENSIS

RECTOR

HERMANNVS CREMER

CVM

CONCILIO ACADEMICO

S. D.

CIVIBVS ACADEMICIS.

Haud inepte cum mihi videar, commilitones, huius proximarum lectionum nostrarum prolusionis materiam ex eis, quas ipse nunc habeo, depromere, primo loco disseram de carminis Lucretiani prooemio. De quo ut haud pauci nuperrime egerunt, ita inter hos omnes optime, si recte iudico, meruerunt Brieger[1]), Stuerenburgius[2]), Vahlenus[3]), Kannengiesser[4]). Brieger enim difficultates, quibus hoc prooemium partim reapse laborat partim laborare saltem videtur primo oculorum obtutu, optime aperuit[5]), ceteri tres in eis diluendis ita versati sunt, ut licet non ubique prorsus vera, tamen, nisi fallor, veritati invenerint proxima.

Iam primorum versuum

Aeneadum genetrix, hominum divomque voluptas,
alma Venus, caeli subter labentia signa
quae mare navigerum, quae terras frugiferentis
concebras, per te quoniam genus omne animantum
concipitur visitque exortum lumina solis —
(te, dea, te fugiunt venti, te nubila caeli
adventumque tuum, tibi suavis daedala tellus
summittit flores, tibi rident aequora ponti
placatumque nitet diffuso lumine caelum:

---

1) In Philologi XXIII. (1865). p. 456–458.
2) De carminis Lucretiani libro primo, in Act. soc. philol. Lips. II. (Lips. MDCCCLXXIV) p. 373–389.
3) Ueber das Prooemium des Lucretius, Monatsberichte der Berliner Akademie. 1877. p. 479–499.
4) De Lucretii versibus transponendis, Gott. MDCCCLXXVIII, p. 7–11.
5) Leviter attigit nonnulla iam antea Grasberger De Lucretii Cari carmine, Mon. MDCCCLVI, p. 30. 31.

nam simul ac species patefactast verna diei
et reserata viget genitabilis aura favoni,
aëriae primum volucres te, diva, tuumque
significant initum perculsae corda tua vi,
inde ferae pecudes persultant pabula laeta
et rapidos tranant amnis, ita capta lepore
te sequitur cupide quo quamque inducere pergis,
denique per maria ac montis fluviosque rapacis
frondiferasque domos avium camposque virentis
omnibus incutiens blandum per pectora amorem
efficis ut cupide generatim saecla propagent):
quae quoniam rerum naturam sola gubernas,
nec sine te quicquam dias in luminis oras
exoritur neque fit laetum neque amabile quicquam,
te sociam studeo scribendis versibus esse,
quos ego de rerum natura pangere conor
Memmiadae nostro, quem tu, dea, tempore in omni
omnibus ornatum voluisti excellere rebus:
quo magis aeternum da dictis, diva, leporem

quaenam sit structura, haud facile sane est diiudicatu. Briegerum enim, cum eorum sententiam, qui verbis *per te quoniam — solis* (v. 4 sq.) confirmationem antecedentium *quae mare — concebras* (v. 3 sq.) contineri crederent, absurdam esse contenderet, demonstrare hoc ita tantum potuisse, ut ab eis in *concelebrare* vocabulo, ut ab ipso, frequentandi, non complendi significationem inventam esse falso opinaretur, statim monui[6]): sed contra Briegerum, qui verba illa *per te quoniam etc.* confirmationem et protasin potius esse apodoseos sequentis *te, dea, te — caelum* (v. 5—9) putabat, non magis feliciter pugnavit Stuerenburgius. Certe non video, quid absurdi insit in hac sententiarum continuatione et serie: „quoniam per te exoriuntur omnia genera animantum (v. 4 sq.), tu es etiam veris dea (v. 5—9): nam statim ineunte vere in omnibus animantibus excitatur gignendi cupido (v. 10—20)“[7]): immo oblitus est Stuerenburgius apud omnes scriptores haud rarum esse loquendi genus, ubi antecessit confirmatio conclusionem, post conclusionem amplificatae novisque sententiis auctae confirmationis repetitionem, cuius rei e solis politicis Aristotelis libris olim[8]) sex collegi exempla et horum quattuor e solo primo unumque e poeticis: neque si recte verba praecedentia *quae — mare — concelebras* cum Stuerenburgio explicamus sic[9]): „quae praesentia tua comples“ („die — du erfüllst, durchdringst, durchwaltest“), inde ullum oriri video constructionis Briegerianae impedimentum. At fortasse neuter verum perspexit. Nam ut quam brevissime in unum comprehendamus totius huius precationis tenorem, haec sine dubio est eius sententia: „quoniam ex te, Venus, pendet omnium rerum et ortus et pulchritudo, te etiam carmini meo scribendo sociam esse studeo“: si autem hoc verum est, sententiae solius ratione habita non possumus non concedere apodosin universae periodi incipere demum a v. 24, ut *quoniam* alterum v. 21 repetat prius illud v. 4: quae cum ita sint, admodum facile adducimur ut credamus idem quadamtenus saltem cadere etiam in constructionem grammaticam. Id quod Vahlenus cum probe sentiret, verba *te, dea, te — caelum* (v. 6—9) alteram partem protaseos *per te quoniam — solis* (v. 4 sq.) esse censuit duabus aliis periodis comparatis, licet multo brevioribus, altera III, 425—439 similiter, altera IV, 54—63 aeque composita. Cui rectissime quidem Brieger[10]) respondit haec verba *te, dea, te etc.* aut apodosin potius esse aut enuntiatum per se constans ex asyndeto cum anaphora clarissime apparere: certe Lucretius si utroque uti ac nihilominus his verbis protasin continuare voluisset, *quoniam* particulam repetere debuisset: sed alia restat via, quam mihi monstravit Kiesslingius. Quid? nonne licet post *solis* (v. 5) signum interruptae orationis ponere, ut initium parentheseos iam sint *te, dea, te?* Aspera quidem profecto est talis construendi ratio eisque incredibilis, qui, velut Stuerenburgius[11]), et me et Briegerum vituperant, quippe qui non eam iam ob causam traiectionem versuum v. 10—20 vel 10—23 ante v. 6 a Bormansio[12]) propositam reiecerimus, quia sic post Veneris invocationem (1—4 vel 1—5) 11 vel 13 versibus demum parentheseos loco intermissis audiretur, cur esset invocata: at utut totum locum construimus et ordinamus, hoc, sicut iam dixi, si non verba, sed, ut par est, sententiam spectamus, et Stuerenburgius et alius quisque audit demum v. 21 sqq., et Kiesslingius me ablegavit ad prooemium carminis Aratei:

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, τὸν οὐδέποτ᾽ ἄνδρες ἐῶμεν
ἄρρητον (μεσταὶ δὲ Διὸς πᾶσαι μὲν ἀγυιαί,
πᾶσαι δ᾽ ἀνθρώπων ἀγοραί, μεστὴ δὲ θάλασσα
καὶ λιμένες· πάντῃ δὲ Διὸς κεχρήμεθα πάντες·
τοῦ γὰρ καὶ γένος εἰμέν· ὃ δ᾽ ἤπιος ἀνθρώποισιν
δεξιὰ σημαίνει, λαοὺς δ᾽ ἐπὶ ἔργον ἐγείρει
μιμνήσκων βιότοιο· λέγει δ᾽ ὅτε βῶλος ἀρίστη
βουσί τε καὶ μακέλῃσι, λέγει δ᾽ ὅτε δεξιαὶ ὧραι
καὶ φυτὰ γυρῶσαι καὶ σπέρματα πάντα βαλέσθαι·

6) In Philol. l. l. p. 455. n. 3: quae tamen addidi „für Briegers Auffassung spricht aber auch das Folgende, so v. 7 *adventumque tuum*, v. 12 f. *tuumque initum*“ non etiam hodie probo. V. n. 7 et n. 12.

7) Verumtamen haud recte ipse Brieger l. l. p. 455: „die in 10—20 gegebene Begründung gehört dem Sinne nach eben zu *per te quoniam — solis* etc.“ et p. 456: „wenn jetzt nach dem Nachsatze mit einem unmittelbar nur auf den Vordersatz zu beziehenden *nam* fortgefahren wird, so ... ist mittelbar ja die Begründung des Vordersatzes auch Begründung des Nachsatzes“. Per Venerem enim omnia animalia oriri, quomodo hoc inde sequi possit, quod verno tempore bestiae ruunt ad concubitum, ego certe non intellego.

8) De politicis Aristoteleis quaestionum criticarum part. VII. Gryph. MDCCCLXXV. p. 16.

9) Sic enim ea explicanda esse docere videntur exempla a Stuerenburgio et a Munrone allata.

10) In Bursiani relatt. ann. X (1877). p. 68.

11) L. l. p. 375.

12) Bulletins de l'academie royale de Belgique. T. XVIII. no. 2. — Cur repudianda sit haec coniectura, patet ex eis, quae monui in n. 7. Haec est, id quod bene perspexit et Munro et Stuerenburgius, Lucreti argumentatio: Venus est etiam veris dea, quia ver tempus est amoris. „A poet's logic“ suo iure dicit Munro ad v. 10, et poetis talia sunt condonanda.

αὐτὸς γὰρ τάγε σήματ' ἐν οὐράνῳ ἐστήριξεν
ἄστρα διακρίνας· ἐσκέψατο δ' εἰς ἐνιαυτόν
ἀστέρας, οἵ κε μάλιστα τετυγμένα σημαίνοιεν
ἀνδράσιν ὡράων, ὄφρ' ἔμπεδα πάντα φύωνται·
τῷ μιν ἀεὶ πρῶτόν τε καὶ ὕστατον ἱλάσκονται)·
χαῖρε, πάτερ, μέγα θαῦμα, μέγ' ἀνθρώποισιν ὄνειαρ
αὐτὸς καὶ προτέρη γενέη κ. τ. λ.,

cuius exemplum Lucretio obversatum simulque imitatorum more ab eo excessum esse a verisimilitudine nequaquam abhorret, praesertim cum, cuius rei item me admonuit Kiesslingius, etiam Comae Berenices poematis Catulliani et Ciris prooemia ex una periodo longa mirumque in modum contorta et conglomerata constent.

De totius autem huius prooemi Lucretiani origine et ordine admodum variae sunt virorum doctorum sententiae. Munro enim et Vahlenus etsi omnia a poeta uno tenore sic, ut nunc legimus, scripta esse censent, tamen ille lacunam ante v. 50 agnoscit, hic ne tale quidem detrimentum invenit, sed in versu hoc secundum Lachmanni coniecturam:

quod superest, vacuas auris <animumque, age, Memmi,>

restaurando acquiescit, et ille olim versus 1—61 postea demum a Lucretio additos esse suspicatus est, hic e contrario in fine dissertationis haud prorsus abhorret ab eadem sententia de versibus 62—148. Quam suspicionem ita arripit Kannengiesser, ut praeterea versus 146—148 proxime post v. 135 transponat versusque 54—61 delendos poetae vel potius secundum poetae mentem editori fuisse in prooemio talem in modum dilatato contendat. Stuerenburgius ante v. 50, quem ab interprete Veronensi Vergili Georg. III, 3 recte ita:

quod superest, vacuas auris animumque sagacem

traditum esse putat, complura excidisse ratus et 50—61 et 136—145 versus carminis continuitati nondum insertos esse arbitratur. Brieger meus quamquam idem ei de prioribus illis versibus iudicium praeivit, tamen eos post v. 101, posteriores hos post v. 79 inserendos, lacunam, qua devorata sit appellatio Memmii, fortasse non ante v. 50, quem et ipse constituit secundum scholia illa Vergiliana, sed post v. 79 ante versus illic traiciendos 136—145 statuendam esse coniecit. Contra versus hos 136—145 ante v. 50 transponere voluit Ritschelius[13], ante 62 Iessenus[14]. Versus potius 146—148 plane expungendi[15] videbantur Gneisseo[16] et Sauppeo[17], qui praeterea versuum 50—61 aptiorem locum post v. 79 esse censet versumque 50, ante quem ei quoque nihil deesse videtur, sic potius:

quod superest, <Memmi,> vacuas auris <animumque>

cum Kannengiessero reficere conatur.

Attamen versus 136—145 neque ante v. 50 neque ante v. 62 posse tolerari satis demonstravit Stuerenburgius[18]: „illud enim“, inquit, „dubitari nequit, quin hi versus, in „quibus poeta de Graiorum obscuris repertis loquitur, illam partem, quae est de Graio homine „primo religionum victore (62—79), secuti sint, non antecesserint“. Minus severe de traiectione eorum post v. 79 a Briegero proposita tum Stuerenburgius iudicavit tum ego iudico: licere desiderare, quae post hunc versum desideravit Brieger („huius viri tibi nunc, Memmi, egregias doctrinas pronuntiabo“), ut Stuerenbergius ita ego quoque concedo: sed ea necessaria esse ne ipse quidem Brieger contendit, et sequentia 80—135, id quod etiam contra Sauppeum est monendum, cum eis, qui nunc proxime praecedunt, versibus 62—79 tam arte cohaerere, ut nisi ultima necessitate urgente alia interponere minime licitum sit, recte animadvertit Stuerenburgius, accuratius demonstravit Vahlenus[19]. Num igitur reapse versus illi 136—145 e tradita sede utique sunt expellendi? Verum est mihi quoque non admodum placere eam rationem, qua filus commentationis eis interiectis abrumpitur et rursus conectitur vorsu 146, at non possum non Vahleno largiri, ut poeta difficultatem incepti e linguae egestate ortam causamque, qua impulsus nihilominus ab eo non desisteret, nullo aptiore loco commemorare potuerit, quam ubi iam in eo esset, ut transiret ad ipsum illud inceptum revera aggrediendum, hoc est quam in fine prooemi[20]. Verum est Briegerum[21] versibus 146—148 nos hoc ipso loco carere non posse et contra Kannengiesserum et contra Gneisseum atque Sauppeum ostendisse, at non reputavit aliquid veri inesse, nisi me omnia fallunt, in his verbis Gneissei[22]: „sed omiserunt Brieger et Stuerenburgius eum terrorem, „quo afficimur, si aegrorum dormientiumve mentibus simulacra mortuorum obvia fiunt, ne „naturae quidem specie ac ratione discuti posse, quoniam in febribus somniisque nobis obrepit „invitis nesciisque“. Reapse enim versus si sic se excipiunt:

videndum
et quae res nobis vigilantibus obvia mentes
terrificet morbo adfectis somnoque sepultis,
cernere uti videamur eos audireque coram,
135 *morte obita quorum tellus amplectitur ossa.*
146 *hunc igitur terrorem animi tenebrasque necessest*
non radii solis neque lucida tela diei
discutiant, sed naturae species ratioque,

---

13) Apud Stuerenburgium l. l. p. 384. 388.
14) Lucrez im Verhältnisse zu Catull und Späteren, Kiel. MDCCCLXXII, p. 20 sqq.
15) Repetuntur II, 59 sqq. III, 91 sqq. VI, 39 sqq.
16) De versibus in Lucretii carmine repetitis, Argentor. MDCCCLXXVIII, p. 69 sqq.
17) Quaestiones Lucretianae, Gott. MDCCCLXXX, p. 11 sqq.

18) L. l. p. 388.
19) Scribit ipse Brieger in Bursiani relatt. X. p. 69: „Hier ist Vahlen vielleicht Recht zu geben“.
20) Ipse Brieger dicit l. l. p. 70: „dass dies dort an und für sich sehr gut stehen könnte, . . . hat Niemand bestritten“.
21) L. l. XVIII. (1879). p. 198. XXVII. (1881). p. 154. Repetam eius verba: „Dass *naturae ratio* das System der (epikureischen) Naturphilosophie bedeutet, zeigt Cic. de nat. d. I, 8, 20 *physiologiam, i. e. naturae rationem* und de divin. 1, 49, 90 *naturae rationem, quam physiologiam Graeci appellant.* Auf *naturae ratio* (148) bezieht sich also *principium cuius* in passendster Weise, aber auf *quo carmine* (143) kann es gar nicht gehen, denn dieses heisst, wie ein Blick auf den Zusammenhang zeigt: mit welcher Art der poetischen Einkleidung. Die Verse 146—148 sind also hier unentbehrlich“.
22) L. l. p. 70.

vix possunt aliter intellegi nisi ita, ut *terror*, de quo sermo est v. 146, plane idem sit atque ille verbo proxime praecedente *terrificet* (v. 133) expressus, et hoc quidem absurdum est: immo id tantum in hoc terrore efficere potest naturae ratio, ne falsa ex eo colligentes etiam vigilantes sanique vanis angoribus excruciemur, sed ut vera potius eius origine cognita tum saltem, cum neque dormiamus et a morbis liberi simus, tranquille degamus. Sin interiecti sunt versus 136—145, nihil impedit, quominus *igitur* particula hoc fere significet: „ut redeam ad ea, de quibus disserui antea (versibus 103—135)“ [23]), neve, id quod postulat sententia, *hunc-terrorem* eum esse teneamus, qui per totos eosdem versus descriptus est, dico mortis, aeternarum post mortem poenarum, spectrorum. Vereor igitur, ne ei, qui versus 136—145 vel falso loco positos vel extra carminis continuitatem ortos esse suspicati sunt, minorem offensionem cum maiore commutaverint.

Contra ea multo aliter mihi iudicandum videtur de versibus 50—61 [24]). Libenter quidem fateor prorsus mihi satisfecisse rationes, quibus Vahlenus commentatoris illius Vergiliani auctoritatem in versu 50 constituendo evertere nobisque redeundum esse in hac re potius ad Lachmanni coniecturam demonstrare conatus est [25]), neque usum formulae *quod superest* Lucretianum, quem bene ita explicuit Stuerenburgius, ut non idem fere quod *porro*, sed idem fere quod *denique* significet [26]), nos cogere, ut ante hunc versum alia nescio quae periisse credamus. Namque superest revera, ut a Veneris allocutione ad Memmium se vertat poeta [27]). Verumtamen quod ostendere praeterea voluit idem vir doctissimus versus istos cum sequentibus quoque optime consentire, quin versus 127—135 ita esse comparatos, ut eis quodammodo ad istos revocemur, hac in re, si quid video, frustra laboravit. Nam in hoc uno erravit quidem Kannengiesser, quod verbis *nam tibi — incipiam* (v. 54 sq.) universi carminis summam contineri putat, quoniam prior potius eorum particula *de summa caeli ratione* ad partem tantum libri V. (110—770) et fortasse VI. (95—534), posterior *deumque* ad clausulam totius carminis, ad quam elaborandam nunquam pervenit Lucretius, veram de deis doctrinam [28]), pertineat: sed

23) Ambo coniuncta leguntur I, 418 sq:

Sed nunc ut repetam coeptum pertexere dictis,
omnis ut est igitur natura etc.

24) Eoque magis in hac sententia persevero, cum etiam Sauppeum videam virum eximium non acquiescere in defensione Vahleni.

25) *Sagacem* hoc loco *animum* non esse sententiae idoneum iam ante Vahlenum monuit Goebelius in Mus. Rhen. XV. p. 416. Cui frustra oblocutus sum in Philol. l. l. p. 456. n. 4.

26) Recte Gneisseus l. l. p. 40. n.: „Vahlenus (p. 488. n.) Stuerenburgium impugnavit „nullo argumento adlato. Nam quod dixit non omnia ab hoc collecta esse exempla, vix quicquam valet. Unus „sane locus ab eo praetermissus est IV, 768, qui tamen id, quod is de formula *quod superest* pronuntiavit, con„firmat“. Frustra autem Vahlenum provocare ad V, 261 sqq. demonstravit Kannengiesser l. l. p. 31 sqq. eumque ipsum corrigens et Bockemuellerum secutus etiam melius Brieger in Bursiani rell. XVIII. p. 200.

27) Haec etiam accuratius explanare studet Kannengiesser l. l. p. 9 ita: „Tres sunt condiciones, „quas expleri poeta necessarium esse putat, ut carmen suum eam, quam ipse vult, utilitatem et fructum Memmio „ferre possit: primum ut carmen Veneris auxilio pulchrum et lepidum fiat (v. v. 1—28), deinde ut neque ipse „in componendo neque amicus in legendo carmine rebus externis impediantur (29—43), denique ut Memmius „attentum animum ad doctrinam suam adhibere velit“. At hoc Lucretius si voluisset, haud dubie alteram precationis partem (29—43) non sine ullo vinculo adiecisset priori (1—28): non *effice* v. 29 scripsisset, sed *effice praeterea* vel simile quid.

28) Cf. versum male a Lachmanno intellectum V, 155.

ceteroqui nihil habeo quod demam, nihil quod addam verbis eius verissimis his [29]): „Revera „autem offendendum est in v. v. 54—61, qui cum universi carminis summam — nihil aliud „in v. v. 54 et 55 init. quaerendum videtur — breviter indicant tum libri I. thematis proposi„tionem cum accurata atomorum terminologia coniunctam continent. Talia autem ante accura„tiorem argumenti paene totius propositionem, quae in v. v. 127—135 inest, non apta esse „neque omnino locum habere nisi ante ipsam libri I. argumentationem apparet. Ac si quis „Lucretium nihil aliud versibus 54—61 efficere voluisse dicat, nisi ut doctrinam suam atomisti„cam esse significet: ad id efficiendum certe tam accurata primordiorum terminologia opus non „erat. Et si Vahlenus (p. 493) necessariam illam quidem non esse dicit, sed non „inutilem, ut statim in initio carminis appareat, qualis sit ea doctrina, qua omnia ex rerum „seminibus sine deorum auxilio fiant: cur Lucretius, si iam hoc loco efferre voluit secundum „suam doctrinam omnia sine deorum opera fieri — cur id non expressis verbis protulit? et quid „ad hanc sententiam illustrandam conferunt v. v. 58—61? [30]) Denique quod Vahlenus (p. 497) „ad illustrandam eam rationem, qua Lucretius post v. v. 54—61 novam etiam partem prooemii „addat, III, 31—93 et IV, 43—95 comparat, monendum est prorsus contrariam ibi inveniri „rationem, et id ipsum deesse, quod hic offensioni est. Ibi enim Lucretius postquam (III, 1—30 „et VI, 1—42) de Epicuri meritis eiusque doctrina in universum disseruit, res singulas illis „libris tractandas proponit: hic contra postquam ea iam proposuit, quae ad librum I. vel I. et „II. potissimum pertinent, tum demum Epicuri laudes celebrat et de eius doctrina in uni„versum verba facit“. [31]) Neque spernenda sunt quae contra Vahlenum monuit Brieger [32]): „Wenn Lucrez, sagt Vahlen (S. 497), v. 127 ff. den Schluss nicht so formulire: daher muss man „die Natur der Seele erforschen, sondern in denselben mehr aufnehmend, als wozu der Anfang „zu berechtigen schien, die gestellte Aufgabe in umfassenderer Weise so bezeichnet: daher „muss man nicht bloss die himmlischen Dinge und was auf Erden geschieht, sondern ins„besondere das Wesen der Seele ergründen, so gewinne dies seine Berechtigung daraus, dass „er sich mit beziehen könne auf das, was er bereits v. 54 f. über den Inhalt seines Lehr„gedichtes in den Worten *nam tibi de summa caeli ratione deumque disserere incipiam* an„gekündigt habe. Aber die *ratio superis de rebus et qua vi quaeque gerantur in terris*, diese „Dinge sind ja implicite schon v. 25 angekündigt mit den *versibus, quos ego de rerum natura* „*pangere conor*. Die in Rede stehende Stelle kann also nicht als Beweis dafür gelten, dass „Lucrez, als er sie schrieb, die Verse 50—61 als ein voranliegendes Stück seines Gedichtes „vor Augen hatte“. Quin immo optime Lucretius in ipso prooemi exitu v. v. 127—135 de

29) L. l. p. 10.

30) Sane inde, quod est aliquis atomorum doctrinae assecla, nondum hoc sequitur: nihil enim impedit, quominus doceat ex his atomis a deo deisve componi vel compositum esse mundum, sicut revera hoc docuit Heraclides Ponticus.

31) Stant igitur invicta quae olim scripsit Brieger Philol. l. l. p. 456: „Ferner erscheint es durch„aus unpassend, wenn wir jetzt die Bezeichnung des Systems als eines atomistischen, ja sogar die Angabe der „verschiedenen Benennungen der Atome von dem Beginne der Darstellung des Systems selbst (149) durch bei„nahe 90 Verse getrennt sehen“.

32) In Bursiani relatt. X. p. 69.

tota physiologia utpote vitae moralis duce loquitur Memmium suum verbis *quapropter bene superis de rebus — et qua vi quaeque gerantur in terris* (127—130) ad libros V. et VI., sequentibus *tum — unde anima atque animi constet natura videndum* (130 sq.) ad III., ultimis *et quae res — ossa* (132—135) ad IV. (722 sqq. v. inpr. 757 sqq.) ablegans, ipsam vero de principiis doctrinam duobus prioribus comprehensam hoc loco non expressis verbis commemorans, quia ad hanc rem transitum sibi parare voluit ipsis illis versibus postea sequentibus 146—149: sed de ea hoc loco tacere, postquam antea e contrario largo sermone ipsas primordiorum appellationes congessit, hoc est, si quid sapio, peccare contra omnem bene disponendi artem. Praeterea, id quod iam supra (p. VIII) commemoravi, Lucretius cum in ipso carmine multo plura praestiterit, quam promisit in versibus 54—61, nonne hoc ipsum est vitium promissi? Sed multo maius, nisi vehementer fallor, vitium est semina rerum materiemque et ceteras, quae ibi leguntur, voces in his versibus ita in medium proferre, ut non possimus non credere per totum carmen haec omnia fore terminos technicos ad atomos significandas, quamquam fiunt demum inde ab I, 920, nondum sunt per versus I, 159—920, quoniam minime inest in Lucreti demonstratione petitio illa principi et circulus ille vitiosus, quorum perperam eum insimulavit Woltier[33]).

Est etiam alia offensio, quam refutare Vahlenus ne conatus quidem est, a Briegero[34]) his verbis expressa: „Für eben so sonderbar muss es gelten, wenn 50—61 von der „Physik des Systems, die ja bekanntlich nur als Mittel zum Zweck galt, eher als von dem den „Dichter begeisternden Zwecke selbst und von dem gepriesenen Entdecker der *vera ratio* die „Rede ist". Et hoc unum vitium tollitur, si cum Sauppeo versus 50—61 post v. 79 transponimus, cetera omnia manent: impedit nos ne hoc faciamus causa praeterea supra (p. VII) allata. Neque multo aliter se res haberet, si Briegerum secuti post versum potius 101 eos traiceremus: immo Brieger ipse[35]) ne sic quidem eos quadrare in carminis continuationem demonstravit, et interrumperent ibi artum conexum, quem inter 80—101 et 102—135 extare mihi quidem satis probavit Vahlenus. Praeterea, id quod iam Stuerenburgius[36]) monuit, si inter versus 43 et 62 nihil interpositum est, nimis abrupte in medium profertur laus Epicuri v. 62 sqq.: quod vitium deminueretur quidem, sed vix penitus extirparetur, si deletis ultimis versibus octo 54—61 intermissi essent soli quattuor priores 50—53. Et ne hoc quidem intellego, quid tandem poetam impellere potuerit, ut hos versus omni modo ineptos seorsim a carminis continuitate faceret. Quae cum ita sint, unum mihi superesse videtur, ut reapse ab initio prooemium e versibus tantum 1—43. 50—62 constitisse sumamus. Sed minime mihi persuasit Kannengiesser etiam transitum tunc eundem iam fuisse, quem nunc legimus v. 149 *principium cuius etc.*: optime enim pendet *cuius* a subiecto enuntiati *naturae species ratioque* (v. 148), sed vix potuit, id quod iam Vahlenus[37]) brevitur monuit, in tali ad ipsam rem

33) Lucretii philosophia cum fontibus comparata, Groning. MDCCCLXXVII, p. 12. 13. 16 sq. 23 sq. V. quae contra eum monuit Brieger l. l. p. 73. Verum diu docuerat Bockemueller ad I, 171 et saepius.

34) Philol. l. l. p. 456 sq. proxime post verba supra in n. 31 allata.

35) L. l. p. 458.

36) L. l. p. 388.

37) L. l. p. 499: „des stilistischen Ungeschicks dieser Anknüpfung".

transitu a parte enuntiati tam subsiciva pendere, quam est illud *redundа in ratione* v. 59. Videtur igitur poeta, postquam alteram huius prooemi recensionem composuit uberiorem, hanc ultimam partem prioris delevisse, versibus autem proxime antecedentibus 50—61 ad tempus pepercisse, non ut semper ita manerent, sed ut aut omnes aut saltem octo ultimos postea aliis aptioribus commutaret vel certe in aliam formam aptiorem redigeret. Quod cum nunquam factum sit, nunc haec pars non congruit cum toto, et tale etiam quid si licet significare cancellis illis Bernaysianis || ||, equidem non intercedo, quominus eis hi versus circumscribantur. Versum autem 50 e Kannengiesseri coniectura corrigendum esse cur minus verisimile sit, docuit Brieger[38]): quapropter quem movet dubitatio Kannengiesseri[39]) de Lachmanni supplemento, ei id commendo, quod proposuit Munro:

quod super est, vacuas auris <corque, inclute Memmi>.[40])

Sed haec hactenus: nunc ad res plane alias me verto. Iam enim diu miratus sum omnes Artium rhetoricarum scriptores a Platone in Phaedro recenseri praeter unum omnium antiquissimum Coracem, eiusque loco Tisiam potius absconditae illius artis inventorem appellari, secundum cuius praecepta non veritas appetenda sit oratori, sed species tantum veritatis (273 C), contra idem hoc inventum eodem exemplo allato ab Aristotele Rhet. II, 24. 1402 a, 17 sqq. tribui Coraci, verumtamen etiam a Platone addi ἢ ἄλλος ὅστις δή ποτ' ὢν τυγχάνει καὶ ὁπόθεν χαίρει ὀνομαζόμενος, porro secundum ea, quae alio loco narraverat idem Aristoteles (fr. 131 ap. Cic. Brut. 12, 46 sqq.), *primum artem et praecepta Siculos Coracem et Tisiam conscripsisse*, etiamque, ut Spengeli[41]) verba mea faciam, „in scholiis Graecis ad illum Rhetoricorum locum „Tisiam laudari [ὁ Τισίας] μαθητὴς τοῦ Κόρακος ἐξ οὗ τὸ ᾠὸν κακὸν κακοῦ κόρακος, ut interpretem „in libro suo legisse credas: ἡ Κόρακος <καὶ Τισίου> τέχνη". Unde conieci[42]) non duas fuisse Artes alteram Coracis alteram Tisiae, sed unam eandemque, cuius praecepta, qualia e Coracis ore audivisset, litteris mandasset eam ipsam ob rem Κόρακος τέχνη titulo usus eius discipulus Tisias. Sed huius coniecturae nemo rationem habuit: tandem eius ignarus Verrallius[43]) ex eisdem causis collegit potius librum illum coniuncto amborum labore scriptum fuisse. Mihi optio videtur data esse inter utramque sententiam: quod enim Verrallius in notissimo loco Pindari Ol. II, 83 sqq. eos, qui ibi cum corvis comparantur (κόρακες ὥς 87), iterum esse Coracem et Tisiam, a quibus iam ante huius carminis tempus (fere 476 a. Ch.) alium librum priorem glossographicum editum esse ex hoc ipso loco concludit, haec res, si omnino, id quod eis diiudicare permitto, qui in studiis Pindaricis magis quam ego versati sunt, versus ita possunt explicari, posita saltem est in coniectura prorsus incerta. Tisiam autem legationis, quam

38) In Bursiani rell. XVIII. p. 198. XXVII. p. 154: „ich kann es durchaus nicht wahrscheinlich „finden, dass der Vers an zwei Stellen, in der Mitte und am Ende, verstümmelt sein sollte. In *ut*" (del. corrector oblongi) „vor *vacuas* kann man unmöglich einen Rest des Namens Memmius suchen".

39) L. l. p. 9: „verbum enim *age* numquam apud Lucretium invenitur nisi in formula *nunc age* et semel in verbo *agedum*".

40) Non tamen nego *animum* mihi huius loci sententiae multo aptiorem videri quam *cor*.

41) Artium scriptores, Stuttg. MDCCCXXVIII, p. 32. n. 49.

42) Genet. Entwicklung der plat. Phil. I. (Lips. MDCCCLV). p. 485.

43) Corax and Tisias, Journ. of Philology IX (1880). p. 197—210. Quae de Corace narrantur et de argumento huius Artis in Prolegg. in Hermog. Rhet. Gr. IV. p. 11 sqq. Walz. (p. 24 sqq. ap. Spengelium l. l.) fide non esse digna demonstravit iam Spengelius l. l. p. 27 sqq., mirorque de his rebus ex parte saltem aliter iudicare Verrallium.

anno 427 patriae urbis Syracusarum hostes Leontini Athenas miserunt, una cum Gorgia socium fuisse quis est qui soli Pausaniae (VI, 17, 5) credat? Etiam Isocratem, qui nunquam in Sicilia et Italia erat, eius auditorem fuisse narrat quidem Dionysius Hal. De Isocr. 1[44]), at certe anno 427 ille eum nondum potuit audire novem annorum puer, magnusque certe natu Tisias erat annis fere 420 et sequentibus, si eis potius commoratus est Athenis, et si haec vera sunt, Thuriis eum iam antea docuisse verisimile est, annis fere 425 et sequentibus, ut reapse ibi fuisse potuerit praeceptor Lysiae[45]). Quamquam igitur non plane consentio cum Verrallio haec omnia negante, tamen suspecta haec omnia esse concedo et adhiberi in eis quoque satius esse puto artem illam nesciendi.

Utut vero se haec habent, nondum me poenitet iudici, quod e scaena Reipublicae Platonicae de tempore feci[46]), quo mortuus sit Cephalus Syracusanus Lysiae pater, quamvis mihi refragetur Blassius[47]). Hanc enim scaenam incidere in annum fere 408 vel 407 hodie, ni fallor, inter omnes constat, nullum autem aliud apud Platonem novi exemplum eiusmodi, ut aliquis in ipsa dialogi scaena multis post mortem annis non mutae personae, sed socii sermonum, in cuius domo colloquia habeantur, partes agat. Atqui si hac re commoti eum illo tempore revera nondum mortuum fuisse sumimus, non possumus non inde porro concludere eum aut Athenis mansisse, cum filii Thurios abirent, aut cum filiis in hanc coloniam se contulisse ex eaque anno 412 vel 411 Athenas rediisse, cumque Lysias XII, 4[48]) eum a Pericle invitatum in hac urbe triginta annos habitasse testetur et ante annum saltem 404 eum e vita decessisse ex eiusdem Lysiae verbis[49]) sine ulla dubitatione sit colligendum, aut inter annos demum 437 et 435, quae est Ueberwegi[50]) sententia, Athenas transmigraverat aut per triginta quidem annos domicilium ibi vel potius in Piraeeo collocavit, sed non sine longiore intercapedine. Illud vero si praeferre velimus, Lysiam, cum testibus Platone (Phaedr. 278 E sqq.) et Pseudo-Plutarcho (Vit. Lys. 836 C) Isocrate compluribus annis maior natu fuerit[51]), iam antea Syracusis in vitam venisse necesse est: sed ut hoc solus Timaeus[52]) narravit aliis omnibus adversantibus, ita hodie omnes scimus huic scriptori, ubi a ceteris testibus recedat in honorem Siciliae aut Italiae, nunquam fidem esse tribuendam. At aliter, Ueberwegius inquit, Lysias esset locutus, si diversis temporibus Cephalum inter Athenienses habitasse dicere voluisset. E contrario cum nihil sane interesset, ut id assequeretur, quod assequi studebat his verbis,

44) Repetit hoc Pseudo-Plut. Vit. Isoc. 836 F et ex eo Photius cod. 260. p. 486 b

45) Pseudo-Plut. Vit. Lys. 835 D. Suid. v. Τισίας. Fabula fortasse est e coniunctione orta, qua Plato in Phaedro artem oratoriam Lysiae cum arte rhetorica Tisiae conectit.

46) L. l. II. p. 78 sq. Platon. Forschungen II, in Philologi Suppl. II. (1863). p. 105—111.

47) Die attische Beredsamkeit I. (Lips. MDCCCLXVIII) p. 332—337. 663.

48) Οὑμὸς πατὴρ Κέφαλος ἐπείσθη μὲν ὑπὸ Περικλέους εἰς ταύτην τὴν γῆν ἀφικέσθαι, ἔτη δὲ τριάκοντα ᾤκησε, καὶ οὐδενὶ πώποτε οὔτε ἡμεῖς οὔτε ἐκεῖνος δίκην οὔτε ἐδικασάμεθα οὔτε ἐφύγομεν, ἀλλ' οὕτως ᾠκοῦμεν δημοκρατούμενοι ὥστε μήτε εἰς τοὺς ἄλλους ἐξαμαρτάνειν μήτε ὑπὸ τῶν ἄλλων ἀδικεῖσθαι. ἐπειδὴ δ' οἱ τριάκοντα κ. τ. λ.

49) V. quae narrantur inde a §. 5. ἐπειδὴ δ' οἱ τριάκοντα κ. τ. λ.

50) Echtheit u. Zeitfolge platonischer Schriften, Vindob. MDCCCLXI, p. 259—262. Dubitanter tamen loquitur.

51) V. quae contra Vaterum monui Plat. Forsch. II. p. 107 sq. et de Pseudo-Plutarchi loco Blassium l. l. III, 2. (Lips. MDCCCLXXX). p. 535.

52) fr. 96 ap. Cic. Brut. 16, 63.

utrum patrem per triginta an primum per viginti quattuor, postea denuo per sex fere annos ibi vixisse diceret, mea quidem sententia ridiculum paene fuisset, si non praetulisset brevius loquendi genus. Ergo ea saltem ratio, qua me refutare conatus est Blassius, me omnino non tangit.

Athenas reversum anno 412 vel 411[53]) iam proximo tempore usque ad annum fere 402 Lysiam maiorem partem epistularum amatoriarum atque declamationum scripsisse ego quoque credo. Quamquam enim Platonis, qui eius Amatorium in Phaedro[54]) tempori, quod intercessit inter annos 411 et 406, impertit, testimoni quam exiguum sit talibus in rebus pretium, inde apparet, quod in eodem dialogo (279 A) eodem tempore etiam Isocrati contra historiae veritatem iam tribuit orationes, tamen ab Archino anno 403 per totam huius in Thrasybulum orationem Lysiam cum magno contemptu appellatum esse λογογράφον, h. e. pedestris orationis scriptorem, hoc sine dubio non finxit idem 257 C[55]) et vix satis explicari potest ex solis Lysiae paucis, quae tum iam extabant, iudicialis generis orationibus atque deliberativi.

Cum autem Aristoteles teste Cicerone[56]) tradiderit *Lysiam primo profiteri solitum artem esse dicendi, deinde quod Theodorus esset in arte subtilior, in orationibus autem ieiunior, orationes eum scribere aliis coepisse, artem removisse*, quaerendum est, quonam tempore scholam rhetoricam aperuerit. Factum hoc quoque iam esse paulo post annum 411 e voce illa *primo* facile concludamus, at si ita iudicamus, cum non ante annum 403 iudiciales orationes scripserit, verba autem Aristotelis ita sint comparata, ut proximo iam post clausam scholam tempore ad hoc se negotium vertisse putandus sit, vix Theodori rivalitas eum impellere potuit, ut artem profiteri desineret, sed plane aliam causam afferre debebat Aristoteles: necessitas enim hoc faciendi imposita sane fuisset Lysiae, cum fugeret e patria dominantibus triginta tyrannis anno 404. Dives praeterea erat, ut quaestu certe eiusmodi facile posset carere, donec a tyrannis maiore rei familiaris parte privatus aliam haud parvam in Thrasybuli exulumque conatibus sublevandis consumpserat[57]). Quo facto redux inde ab anno 403 victum haud dubie suo labore quaerere erat coactus, itaque tum demum, nisi fallor, huius rei causa ab initio institutioni oratoriae operam dedit, mox, cum diu frustra eum in hac arena cum Theodoro dimicasse haud probabile sit, ex orationibus iudicialibus in aliorum usum scribendis quaestum facere coepit. Video, quid possit mihi occurrere. Oratio enim XXXIV[a] brevi post expulsos tyrannos[58]), oratio

53) Dionys. Hal. De Lys. 1. (Pseudo-Plut. 835 D.).

54) Scaena enim huius dialogi cadit in hoc tempus, cf. 257 B. 268 C.

55) V. Sauppe. Epist. crit. ad G. Hermannum (Lips. MDCCCXLI) p. 128 sq. Or. Att. II. p. 166. — Ut alia exempla afferam, confido Platonis Protagorae 309 D. 310 E Protagoram iterum venisse Athenas anno fere 434 et Gorgiae una cum Gorgia, cum is iterum viseret anno fere 426 hanc urbem, aut proximis saltem annis commoratum ibi esse etiam discipulum eius Polum, sed nequaquam concludo e Gorg. 448 C. 462 B. ἐν τῷ συγγράμματι Artem eius iam tum, atque multo etiam minus e Charm. 162 D, ubi tecte notantur Critiae dramata, ea iam ante ann. 432 (cf. 153 A sqq.) orta fuisse. Immo hoc tantum certum est secundum illos locos Artem Poli scriptam esse ante Gorgiam Platonis, hoc est, ut videtur (cf. quae monui in Ann. philol. CXXIII. 1881. p. 664 sq.) iam ante mortem Socratis.

56) Brut. 48. V. supra p. XI.

57) Pseudo-Plut. Vit. Lys. 835 E sq. Nisi potius e contrario, quae est sententia Rauchensteini Philol. Anzeiger IX (1879). p. 452, postquam hoc fecit, a tyrannis privatus est.

58) V. inprimis Usener Lysias Rede über die Wiederherstellung der Demokratie, in Ann. philol. CVII. (1873). p. 145—174.

περὶ τῶν ἰδίων εὐεργεσιῶν pro Thrasybulo contra Archinum exarata[59]) iam eodem saltem anno 403 orta est. At gratis haud dubie utramque elaboravit, illam quia ipse sicut is, qui illam habuit, imperio populi favebat, hanc quia in ea suam ipsius rem agebat: contra de eis orationibus locutus esse videtur Aristoteles, quas aliis scripsit mercede conductus. Quarum antiquissima videtur fuisse pro Euthyno illa contra Niciam[60]), quorum litem cur non 402 demum anno diiudicata esse queat, equidem non intellego[61]): unius autem anni et paucorum mensium tempus plane mihi sufficere videtur, quo ludi rhetorici moderandi conatum irritum fieri Theodori aemuli hac in re solertia maiore cognoverit.

Iam illam litem, quippe in qua etiam Isocrates primam vel paene primam orationem scriberet in editionibus nostris XXI^am^, Ἀμάρτυρον dictam, non pro ipso quidem actore Nicia, sed pro subscriptore tamen nescimus quo actionis[62]), celeberrimam esse factam omnibus notum est. Antisthenis inprimis cavillationibus inde depromptis Isocratem post aliquot annos impulsum esse, ut hic quidem e contrario ab orationibus iudicialibus scribendis ad institutionem iuvenum transiret, admodum probabiliter ex indice operum Antistheneorum apud Laert. Diog. VI 16 et ex Aristotelis verbis male redditis a Cicerone[63]) *Isocratem primo — scribere — aliis solitum orationes, quibus in iudiciis uterentur, sed cum ex eo — saepe ipse in iudicium vocaretur, orationes aliis destitisse scribere totumque se ad artes componendas transtulisse* coniecit Usener[64]). Et erant quidem aut duo Antisthenis scripta hanc rem spectantia, alterum περὶ τῶν δικογράφων, alterum πρὸς τὸν Ἰσοκράτους ἀμάρτυρον, id quod si verum est, diiudicari nequit, utrum tertius titulus Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης altera illius an huius fuerit inscriptio, aut tria, si hic titulus peculiaris libri erat[65]). Si tria erant, duo περὶ τῶν δικογράφων et Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης verisimile est post Platonis Phaedrum edita esse, ut in eis simul in Platonem invectus sit cynicus eiusque iudicium de utroque oratore in illo dialogo factum eludere et in contrarium, quale ipse in tertio suo libello πρὸς τὸν Ἰσοκράτους ἀμάρτυρον fecerat, vertere studuerit, tertius hic quominus iam antea prodire potuerit, nihil, si quid nunc video, impedit, quamquam olim aliter iudicavi, cum petitionem principi hac in re ab Usenero commissam nondum perspexissem: sin duo tantum, ut titulus alterius hic fere: περὶ τῶν δικογράφων ἢ Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης, alterius πρὸς

59) Sauppe. Or. Att. II. p. 181. 187.

60) Sauppe. Or. Att. II. p. 198. Blass. l. l. I. p. 358.

61) Blassius l. l. II. (1874). p. 202 etiam ulterius progressus non diu post 402 hoc factum esse posse dicit.

62) Utrum hoc revera se ita habuerit an, id quod Blassio l. l. II. p. 201–204 videtur, Isocrates tantummodo hoc finxerit, ut exercitationis causa hanc orationem scriberet, de hac re non huius loci est disceptare, neque utrum servata oratio ea sit, quam reapse scripsit, an subditicia, id quod coniecit Benseler, postquam illa perierit, in eius locum substituta. Etiam verum si vidit Blassius, Isocrates certe vix orationem et scripsit et promulgavit longo tempore post causam iudicatam.

63) Brut. §. 48, cf. p. XI et n. 56.

64) Abfassungszeit des platonischen Phaidros, in Mus. Rhen. XXXV (1880). p. 141–144.

65) Codices praebent: περὶ τῶν δικογράφων (vel δικογραφιῶν), ἰσογραφὴ ἢ δεσίας ἢ (καὶ Arundel.) Ἰσοκράτης, πρὸς τὸν Ἰσοκράτους ἀμάρτυρον. Λυσίας crx. Wyttenbachius, ἰσογραφὴ del. Bakeus, ἀντιγραφὴ ci. Winckelmannus, et ἀντιγραφὴ olim proxime ante πρὸς tri. Usener Quaestiones Anaximeneae (Gott. MDCCCLVI). p. 8, id quod aut retento aut deleto ἢ priore fortasse probandum est, v. n. 66, certe quid sibi velit tradito loco ἀντιγραφὴ, non assequor, ἰσογράφοι nunc admodum dubitanter ci. Usener.

τὸν Ἰσοκράτους ἀμάρτυρον[66a]) fuerit, de illo illud, de hoc hoc, ut alterius περὶ τῶν δικογράφων, alterius hic fere: Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης, πρὸς τὸν Ἰσοκράτους ἀμάρτυρον[66b]), de illo hoc, de hoc illud valet. Porro vel duo vel unum horum operum, ut recta sit Useneri coniectura, ante Isocratis contra sophistas libellum, quippe quo hic vir scholae suae aperiendae, ut ita dicam, praeluderet in priore parte (§. 1–8) Antistheni paria paribus referendo, in posteriore (§. 9—18) Alcidamantem aggressus[67]), emissa esse patet: sed in omnia vel tria vel duo idem cadere nequaquam necesse est, immo non is erat Antisthenes, quem, postquam ei in hoc libello responsum sit ab Isocrate, prorsus tacuisse facile crederes. Multo autem nunc mihi verisimilius videtur tria fuisse huius generis opera Antisthenis. Edito enim Amartyro mox secutam esse eius censuram probabile est, quamquam, nisi fallor, post Socratis demum mortem: hoc vero si concedimus, cum nihilominus Isocrates per aliquot annos iudiciales orationes aliis scribere perrexerit, vereor ne corruat Useneri coniectura, nisi compluribus annis interiectis contumelias suas repetiverit Antisthenes in altero libello ante scholam adversarii conditam, sed post Platonis Phaedrum, hoc ipso dialogo incitatus: nam verba ibi de Isocrate facta clare et distincte ostendunt hunc minime, cum haec scriberentur, iam in eo fuisse, ut consuetum genus orationum desereret sive propter iterata Antisthenis convicia sive alia de causa. Utrum tamen alter ille Antisthenis libellus περὶ τῶν δικογράφων, tertius post apertum Isocratis ludum scriptus Λυσίας καὶ Ἰσοκράτης fuerit an potius hic orationi contra sophistas Isocrateae antecesserit, ille eam secutus sit, plane ignoro. Sic igitur corrigenda sunt quae alio loco[68]) de hac re disserui. Verum autem esse, id quod secundum Pseudo-Plutarchi verba (vit. Isocr. 837 B) σχολῆς δ' ἡγεῖτο, ὥς τινές φασι, πρῶτον ἐπὶ Χίου, μαθητὰς ἔχων θ' tradiderat nescio quis, fortasse Hermippus, fortasse alius eadem iam indefinita ratione ab Hermippo citatus, Isocratem ab initio non Athenis, sed in Chio insula docuisse discipulos novem, hoc quoque nimis celeriter ibidem[69]) concessi Usenero[70]). Quamquam enim vir mihi amicissimus optime in constructione ἐπὶ Χίου nullam inesse offensionem demonstravit, tamen iam Blassius non modo admodum probabiliter, id quod ipse concedit Usener, novem illos discipulos primos coniecit[71]) octo potius Athenienses fuisse ab ipso Isocrate XV, 93 nuncupatos una cum nono Timotheo, sed etiam recte scripsit[72]): „die Schule auf Chios beruht auf der sehr ungewissen „Glaubwürdigkeit einer vereinzelten Tradition (ὥς φασί τινες)“. Quin nulla prorsus fide dignum esse hunc fontem probare mihi videtur alia narratio mea certe sententia, etsi alii, velut ipse Blassius, aliter iudicant, absurdissima (ibid. C) καὶ ἀρχὰς δὲ καὶ περὶ τὴν Χίον κατέστησε καὶ τὴν αὐτὴν τῇ πατρίδι πολιτείαν procul dubio ex eodem hausta[73]). Et postquam hoc scripsi,

66a b) Aut <ἀντιγραφὴ> πρὸς τὸν Ἰσοκράτους ἀμάρτυρον.

67) Cf. Usener Quaestiones Anaximeneae p. 12 sq. Ueberwegius Zu Isokrates, in Philologi XVIII (1868). p. 175 sqq. Car. Reinhardtius De Isocratis aemulis, Bonn. MDCCCLXXIII, p. 6—15. 24—27. Zycha Bemerkungen zu den Anspielungen und Beziehungen in der XIII. und X. Rede des Isokrates, Vindob. MDCCCLXXX, p. 4—15.

68) Die Abfassungszeit des platonisehen Phaidros I., in Ann. philol. CXXI. 1880. p. 708. 714 sq.

69) p. 707 sq.

70) Mus. Rhen. l. l. p. 145 sq. c. n. 24.

71) L. l. II. p. 17. 72) L. l. III, 2. p. 324.

73) Fortasse haec ipsa res a Timotheo ad praeceptorem, amicum, comitem Isocratem errore nescio unde orto translata scholae Chiae fingendae ansam dedit. Cf. Schaefer Demosthenes I. p. 24. n. 2.

in manus mihi venerunt bonae frugis plenissima commilitonis nostri Brunonis Keilii Analecta Isocratea[74]), in quibus haec ita se habere accuratius (licet paulo fortasse hic illic acrius, quam par erat) demonstravit et luculente ostendit, quam foede Pseudo-Plutarchus ea, quae mutuatus est a Dionysio Halicarnasseo, corruperit ordine rerum mutato atque perverso aliisque prave insertis ex alio fonte deteriore, h. e., nisi fallor, id quod ut credamus analogia suadet, Caecilio Hermippum secuto. Denique ultimam quidem orationum Isocratis iudicialium, quae tempus tulerunt, Aegineticum, post libellum contra sophistas compositam esse Blassius[75]) ostendit, sed paenultimam Trapeziticum quod ego[76]) cum Usenero[77]) aliisque in anno fere posui 394, hac in re rationem non habuimus dissertationis a Schaefero viro egregio bonis litteris nuper praepropere erepto Mus. Rhen. XXIII (1878). p. 418—433 insertae „Athenischer Volksbeschluss zu Ehren der Söhne Leukons von Bosporos". In qua cum ex populiscito nuper invento, quod ibi tractat, errorem a Diodoro XIV, 93. XVI, 31. 52 (cf. XX, 22—25) in annis regulorum Bosporanorum enumerandis commissum patefecerit, anne huius vitii verisimillima emendatio, id quod Schaefero videtur, ea sit, ut Satyri tempus usque ad annum 387 extendamus, in medio relinquo, rem posse saltem se ita habere negari utique nequit. Ergo hoc tantum certum est Trapeziticum ortum esse post pugnam Cnidiam (v. §. 36) inter annos 494 et 486: vero tamen proximum mihi videtur propter causas a Blassio[78]) allatas incidisse eum in annum 392 vel ineuntem 391, vix saltem in priorem. Cum igitur oratio in sophistas vix post annum divulgata sit 390[79]), nimis breve facile unicuique videbitur temporis spatium, quo post Trapeziticum ludus Isocrateus apud Chios conditus Athenasque translatus sit. Si autem omnino hic sophista non nisi Athenis scholas habuit, nihil iam obstat, etiam si earum et prooemium illud et initium iam ante Trapeziticum, id quod fortasse licet, in anno fere 392 collocare velimus, quominus, id quod perperam Useneruum secutus negavi[80]), Phaedrus Platonis post annum demum 396 vel 395 prodire potuerit inter annos fere 394 et 393 vel, si schola Isocratis anno demum fere 390 aperta est, inter annos fere 394 et 392 Menonem secutus, ante orationem contra sophistas Isocrateam, post quam ne editum eum esse putemus, vetat splendida sententia in eius fine (278 E sqq.) de Isocrate lata[81]).

Rationes, quibus Dittenberger[82]) hunc Platonis dialogum etiam posteriore tempore

74) Lips. MDCCCLXXXIV. V. huius libri hoc temporis momento nondum divulgati p. 92—94, cf. p. 89—92.

75) L. l. II. p. 214 sq. 218. III, 2. p. 350.

76) L. l. p. 707. 77) L. l. p. 146.

78) L. l. III, 2. p. 349, cf. p. 341 sq.

79) V. quae de Isocratis discipulis Philomelo et Androtione congessit Blassius l. l. II. p. 18. III, 2. p. 342.

80) In duabus dissertationibus „die Abfassungszeit des plat. Phaidros" inscriptis et Ann. philol. CXXI (1880). p. 145 sqq. et CXXIII (1881). p. 657 sqq. insertis et in recensione libelli a Zycha scripti, Philol. Anzeiger XI (1882). p. 293 sqq.

81) V. Usener l. l. p. 136 sqq. Susemihl. Philol. Anzeiger XI. 1882. p. 294 sqq. — Haec sola res, quam prorsus neglexit Bergkius (Fünf Abhh. ed. Hinrichs. Lips. MDCCCLXXXIII. p. 31 sqq.), certa videtur etiam Peipersio Ontologia Platonica, Lips. MDCCCLXXXIII. p. 474. n. 1 ex omnibus Useneri computationibus. Quomodo vero idem simul contendere queat satis longa intercapedine Menonem et Phaedonem dialogos secutum esse videri Phaedrum, haud sane intellego. Meno enim (v. 90 A) scriptus est post annum 395.

82) Sprachliche Kriterien für die Chronologie der platonischen Dialoge, in Herm. XVI. 1881. p. 321—345.

post Euthydemum et Convivium extitisse conatus est demonstrare, satis refellit Frederkingius[83]): unum adicio. Si enim revera, id quod cur admodum dubium sit, idem Frederkingius[84]) docuit, τί μήν; respondendi formulam adhibere non potuit Plato, nisi antea commoratus erat in provincia, cuius incolis usitata erat in sermone diurno haec locutio, tamen ipse Dittenberger[85]) in Megarenses hoc cadere ex Aristoph. Ach. 757. 784 rectissime demonstravit: quod si ita est, non assequor, cur non iam Megaris discere potuerit philosophus illud loquendi genus, sed in Sicilia demum. Dialogos igitur illud continentes non scriptos esse posse, antequam Megaris vixerit, si quis contendere velit, hoc certe comprehendere queam, et sunt certe reapse omnes post hoc tempus orti: quo vero iure vir ille doctissimus eos omnes talem ob causam post primum iter Siculum descendere iubeat, hoc ut inveniam, mihi non contigit, quamquam sunt fortasse (de Theaeteto enim adhuc dubius sum) omnes uno Phaedro excepto revera post illud demum scripti.

Sed Platonem, id quod refert Cicero[86]), primum in Aegyptum, post in Italiam et in Siciliam contendisse hodie post C. F. Hermanni[87]) de hac re argumentationes existimant omnes, et ego quoque adhuc fui in eadem sententia, nunc vero scrupulos sensim mihi iniectos non dissimulabo. Paulo enim post Socratis mortem cum aliis nonnullis eiusdem discipulis Platonem se Megaram contulisse e solo scimus Laertio Diogene III, 6 (cf. II, 106, etiam II, 62), neque de Cyrenensi eius itinere quisquam alius certiores nos facit. Porro vitae Platonis scriptorem eum, e quo haec per complures alias manus nescio quot[88]) postremo transierunt in Diogenem (liceat mihi brevitatis causa eum appellare biographum!), ex parte saltem optimis usum esse fontibus inde apparet, quod illius rei testem affert Platonis discipulum Hermodorum Syracusanum, cuius de Platone librum etiam aliunde novimus[89]). Anne eundem auctorem habuerit etiam ceterorum philosophi itinerum, ignoramus quidem, sed minime saltem hoc a verisimilitudine abhorret, et profecto cavendum est, ne nimis celeriter eius relationem spernamus propter perversa quaedam additamenta[90]), quae facile credamus a posterioribus demum manibus esse adiecta, ut biographus ipse nihil nisi hoc fere scripserit: ἔπειτα εἰς Κυρήνην ἀπῆλθε πρὸς Θεόδωρον τὸν μαθηματικόν, κἀκεῖθεν εἰς Ἰταλίαν πρὸς τοὺς Πυθαγορικούς, ἔνθεν τε εἰς Αἴγυπτον παρὰ

83) Sprachliche Kriterien für die Chronologie der platonischen Dialoge, in Annal. philol. CXXV. 1882. p. 534—541.

84) L. l. p. 538. n. 6.

85) L. l. p. 335.

86) De rep. I, 11, 16. De fin. V, 29, 87 (ubi de Sicilia tacet). Utrum hoc quoque ab Antiocho acceperit an ex alio fonte hauserit, nescio.

87) Geschichte und System der platon. Philosophie, Heidelb. MDCCCXXXIX, p. 52. 109 sq.

88) Vitam Platonis a Laertio Diogene nobis traditam, si rem universam spectamus, in eam, quam nunc habet, formam redactam esse a scriptore aut exeuntis fere primi aut ineuntis secundi post Christum saeculi demonstravit Freudenthalius Hellenistische Studien III. (Berol. MDCCCLXXIX). p. 265 sq. Quaenam ipse addiderit Diogenes praeter frustula e Favorino deprompta (cf. Wilamowitzius Philol. Untersuchungen III., Berol. MDCCCLXXX, p. 143 sqq.), non hoc loco quaerendum est.

89) Cf. Zeller De Hermodoro Ephesio et Hermodoro Platonico, Marb. MDCCCLIX. Philos. der Griechen II^{3}, 2. p. 837. n.

90) Nomina Φιλόλαον καὶ Εὔρυτον post τοὺς Πυθαγορικοὺς et οἵ φασι καὶ Εὐριπίδην αὐτῷ συνακολουθῆσαι κ. τ. λ. post εἰς Αἴγυπτον παρὰ τοὺς προφήτας.

τοὺς προφήτας[91]). Certe qui ceteroqui totam hanc relationem falsam esse putant, eis reiciendum est etiam iter Cyrenense, neque video, quo iure parcere queant Megarensi: quin immo reapse fuerunt, qui eo usque provecti sunt, ut id quoque effuso quodam artis criticae genere usi in fabularum numero reponere studerent, satis illi revicti a Zellero[92]). Cyrenis autem Platonem profectum esse in Italiam, ex Italia in Aegyptum, deinde ex Aegypto Athenas rediisse[93]) ibique scholam suam condidisse, postea demum Siciliam primum adiisse, quid est in his rebus omnibus, quod sanae menti repugnet? Ita enim a biographo relatam esse itinerum seriem facile unusquisque intelleget, qui interruptam illam apud Diogenem permultis aliis rebus continuari §. 18 sqq. verbis τρὶς δὲ πέπλευκεν εἰς Σικελίαν κ. τ. λ.[94]), quibus intermixta esse haud pauca prorsus fabulosa ne ego quidem infitior, et secundum §. 20 Platonem post hoc primum iter Siculum revertisse Ἀθήναζε πρὸς τοὺς ἑταίρους animadvertere velit. Quod si fidem habemus huic scriptori, non amplius indigemus coniectura illa, ex qua Ciceronem potius secuti philosophum aut Megaris relictis aut inter Aegyptium iter et sequens Italicum Siculumque aut utroque tempore per complures annos Athenis vixisse ut nobis sumeremus opus erat[95]), si acquirere volebamus tempus, quo potuisset ibi scribere, ut de Menone taceam, Phaedrum inter annos 495 et 492[96]), sed tradita iam res est eum relictis Megaris, Cyrenis, Italia, Aegypto reapse ibi per longius tempus mansisse et museum suum condidisse, nihilque nunc obstat, ne novo huic instituto Phaedrus talis fuerit prolusio, qualem suis scholis Isocrates postea praemisit orationem contra sophistas, Antisthenes antea praemiserat, ut videtur, Ἀλήθειαν. Quam sententiam cum toto dialogi argumento maxime congruentem, ex qua optime explicari potest etiam color elocutionis dithyrambicus[97]), eam solam ob causam adhuc reicere eram coactus, quia anno demum fere 388 e Sicilia regressus esse videtur Plato, Phaedrum autem non post programma illud Isocrateum, hoc est post annum 490, sed antea editum esse mea quidem sententia, sicut dixi, extra ullam positum est dubitationem. Profecto nisi haec accederet res, a Cicerone probabiliora quam a Laertio Diogene relata esse ne sic quidem putarem, sed litem inter hunc et illum dirimi non posse censerem: accedente hac nunc non dubito, utri fidem habeam. Hac

91) Cf. Quintil. I. 12. 15. *Plato, qui non contentus disciplinis, quas praestare poterant Athenae, non Pythagoreorum, ad quos in Italiam navigaverat, Aegypti quoque sacerdotes adiit atque eorum arcana perdidicit.*

92) Phil. d. Gr. l. l. p. 349 sq. n. 3.

93) Nunc huius saltem rei vestigium nobis mansisse etiam apud Plut. De gen. Socr. 7. 579 A sqq. intellego, cf. quae monui in Ann. philol. CXXI. p. 720. n. 48.

94) Qua de re non ita dubitanter loqui debebam, ut feci l. l. p. 719 sq. 721. n. 45. 52.

95) V. quae de hac re disserui l. l. p. 719 sqq.

96) Accuratius eius tempus nondum demonstratum esse concedo: fiet hoc, si Menonem ante Phaedrum scriptum esse firmis argumentis ostendi potest et revera ostensum erit. Utrum hoc factum iam sit a Peipersio, nunc certe in medio relinquo. Sed aut, quae mea sententia est, inter annos illos aut saltem inter annos vel 403 et 400 vel 396 et 392 extitisse hunc dialogum iam nunc tam certum est, ut non intellegam, quomodo scribere potuerit Dittenberger l. l. p. 342 falsissima haec: „Andererseits hat man geglaubt in den Urtheilen „über Lysias und Isokrates einen festen Anhalt zu finden. Aber auch hier ergiebt sich aus den darüber geführten „Verhandlungen nur das negative Resultat, dass nach keiner Seite hin eine sichere Entscheidung zu erreichen ist". Contra haec v. quae monui supra p. XVI c. n. 81.

97) Cf. quae de Antisthenis Ἀληθείᾳ tradit Laert. Diog. VI. 2. τὸ ῥητορικὸν εἶδος ἐν τοῖς διαλόγοις ἐπιφέρει καὶ μάλιστα ἐν τῇ Ἀληθείᾳ καὶ τοῖς Προτρεπτικοῖς. Cur enim hic dialogus prooemium fuisse videatur scholarum ab Antisthene habendarum, docuit Zycha l. l. p. 5.

tantum in re a biographo declino, quod non eam ob causam, quam ille tradidit (si hoc tradidit revera iam ille), κατὰ θέαν τῆς νήσου καὶ τῶν κρατήρων, Platonem Syracusas profectum esse arbitror, sed impulsu Dionis vocatum a Dionysio maiore[98]).

Quamquam autem iam inde ab illo tempore extabat academicorum sodalitas, per haud paucos annos florere pergebat etiam schola Antisthenis. Non solum enim Isocrates in prooemio illo suarum ipsius lectionum inter praeceptores philosophiae cum hoc potissimum ut inter magistros eloquentiae cum Alcidamante sibi certandum esse putavit, verum etiam postea ipsi Platoni utile videbatur in Euthydemo dialogo, ut suam disciplinam commendaret, cum de Isocrate palinodiam canere, contra ea se defendere, quibus iste coram discipulis, ut academicorum principis laudibus obtrectaret, gloriatus erat, totam istius rationem et institutionem reprehendere, tum praecipue suas ipsius scholas sophisticis Antisthenis artibus opponere utrarumque imitatione tam vivida quam malitiosa[99]).

Ceterum Alcidamantis iactatio circulatoria, qua promisit fore ut discipuli etiam sine multo ingenio multaque exercitatione sola ipsius doctrina tam plane compotes fierent eloquentiae quam litterarum linguae[100]), utrum praesente tantum sermone coram illis ab eo pronuntiata sit an, id quod potius crediderim, in libello, quem is quoque fortasse scripserat ludo, quem susciperet, praefatus[101]), an in Arte rhetorica ignoramus. Artem tamen, si omnino genuina erat illa, quae eius nomine circumferebatur[102]), haud dubie nondum scriptam fuisse, cum editus sit Phaedrus Platonicus, quippe qui eius nullam rationem habeat, iam alio loco[103]) dixi, et Alcidamantem cum audiamus heredem fuisse scholae Gorgianae[104]), nescio an haec fuerit Gorgiae schola Atheniensis. Quod recte si conicio, cum Gorgiam vix post annum 419 vel certe 418 Athenas reliquisse, nullaque esse vestigia, ex quibus eum unquam in hanc urbem rediisse colligere liceat[105]), sed complura, e quibus per multos saltem annos eum ibi non commoratum esse post illud tempus appareat[106]), dudum monuerim[107]), Alcidamas iam inde ab anno fere 418 e numero videtur fuisse magistrorum eloquentiae Atheniensium. At certe si hoc ita se

98) V. quae monui l. l. p. 722.

99) V. de hoc huius dialogi consilio Bonitz. Platon. Studien (ed. II.), Berol. MDCCCLXXV, p. 115—131. Susemihl. in transl. Germ., Stuttg. MDCCCLXVII, p. 707 sqq.

100) Isocr. XIII, 10. 12 sq.

101) Vix recte conieci (Philol. Anzeiger XI. p. 295) hunc libellum fortasse eundem cum Arte fuisse, et, si omnino extabat, scriptum eum esse ante Platonis Phaedrum.

102) Cf. Blass. l. l. II. p. 320, v. tamen Laert. Diog. IX, 54.

103) Philol. Anzeiger l. l.

104) Suid. v. Γοργίας. ὃς αὐτοῦ καὶ τὴν σχολὴν διεδέξατο.

105) Neque Hillero (in Bursiani rell. ann. XIX. 1879. p. 144) contigisse videtur, ut talia inveniret. V. n. 107.

106) Ne hoc quidem negare potuit Hiller l. l.

107) Gorgias und die attische Prosa, in Ann. philol. CXV (1877). p. 798. Ceterum non satis caute ibi locutus sum. Gorgiam nihilominus fortasse denuo Athenas venisse, hoc quidem praefracte negare velle temerarium esset, nec ego unquam hoc volui, sed probabiliorem esse secundum res a me allatas contrariam sententiam, id infitiari velle non minus temerarium mihi videtur. Perperam igitur Hiller l. l.: „wenn Susemihl „behauptet, der zweite Aufenthalt des Gorgias in Athen sei sein letzter gewesen, so halte ich dies weder durch „die von ihm vorgebrachten Argumente für irgendwie (!) erwiesen noch für wahrscheinlich". Utinam certe breviter dixisset amicus meus, cur tandem hoc a verisimilitudine abhorrere putaret!

habet, schola eius ab initio ludis Thrasymachi et Theodori multo erat inferior, quoniam ne anno quidem 403 Alcidamas periculosus Lysiae aemulus, sed teste Aristotele solus Theodorus is erat, quocum hic in adulescentibus instituendis frustra certavit. Cum igitur Isocrates anno fere 390 Alcidamantem potius ita tractet, ut eum manifesto rivalem habeat maxime timendum, Theodorum, nisi aliam ob causam praeceptoris negotia deposuerat aut Athenas reliquerat, vel mortuum iam esse illo tempore vel saltem senectute debilitatum inde collegi[108]). Ut autem contra illam Alcidamantis iactationem Isocrates (XIII, 17 sq.) ad Phaedri Platonici eum locum provocat, quo neminem perfectum fieri posse oratorem legimus, nisi ad ingenium accedat et doctrina et exercitatio (269 D), ita Alcidamas cum ei respondeat in libello de sophistis[109]), rursus (§. 27—29) provocat ad alium eiusdem dialogi locum illum (275 D sq.), quo Plato praesentem sermonem et orationem omnibus scriptis operibus praeferendum esse asseverat[110]).

Denique dissertationi, quam nonnullis abhinc annis de Gorgia scripsi[111]), pauca adiciam. Oblitus enim sum commemorare id ipsum tempus, cui ego huius viri philosophicum opus tribui, etiam traditum esse ab Olympiodoro in comment. ad Plat. Gorg. (Ann. phil. suppl. XIV. 1848. p. 112), Ol. 84 = 444—440. Ceterum iudicium meum probaverunt et Hiller[112]) et Blassius[113]): quod autem aliud Gorgiae scriptum, Epitaphium dico, inter annos 426 et 420 vel, ut accuratius nunc mihi tempus definiendum videtur, anno fere 420 Athenis ortum esse conieci, hac in re argumentationem meam reiecit Hiller nullis rationibus allatis[114]). Recte hoc fecisset, si certa proponere voluissem, at probabilia tantum secutus sum[115]): nunc tamen cum Blassius[116]) sententiam meam novo argumento eoque minime spernendo adiuverit, confidentius eam teneo. Nihilominus non hoc erat antiquissimum prosae Atticae monumentum, immo non debebam dubitare, num revera libellus de republica Atheniensium Xenophonti perperam tributus scriptus iam sit ineunte anno 424 vel exeunte 425. Invictae enim stant hac de re Roscheri[117]) et Kirchhoffi[118]) argumentationes, quoniam difficile esse exercitui terrestri longe a patria abire etiam post Brasidae expeditionem dicere licuit, omnino fieri non posse tale quid (2, 5) non licuit dicere scriptori[119]), si verum dicere voluit. Quin autem hoc voluerit, ego quidem non dubito, utpote cui, quamvis contrariam sententiam nimis artificiosa interpretandi ratione tueri conatus sit Mueller-Struebingius[120]), in colloquio familiari facile persuaserit

108) Philol. Anz. l. l. p. 293, cf. quae disseruit Reinhardtius l. l. p. 5 sq.

109) Cf. Reinhardtius l. l. p. 15 sq.

110) Contra Isocratem illud Platonis dictum in auxilium vocari similibus adhibitis verbis ab Alcidamante primus, quantum scio, intellexit Zycha l. l. p. 25 sq., qui apte etiam §. 4 cum 277 E comparat. Eo minus debebat servare velle eorum sententiam, qui e contrario Isocratem XIII. 17 sq. a Platone 269 D respici opinantur.

111) V. n. 107.

112) L. l. p. 144.

113) L. l. III, 2. p. 325.

114) et 115) V. n. 107.

116) L. l. p. 326.

117) Leben, Werk und Zeitalter des Thukydides, Gott. MDCCCXLII, p. 526 sqq.

118) Ueber die Abfassungszeit der Schrift vom Staate der Athener, Abhh. der Berl. Akad. 1878. p. 1—27.

119) Monuit hoc iam Faltinius Philol. Rundschau I. 1881. p. 1235.

120) Ἀθηναίων πολιτεία. Die attische Schrift vom Staat der Athener. In Philologi Suppl. IV. (Gott. 1880). p. 1—188.

Wilamowitzius consilium eius in hoc libello scribendo reapse id fuisse, ut lectores suos, hoc est sociarum urbium cives eos, qui, ut ipse, optimatium partibus favebant, vera rerum condicione proposita a defectionibus et rebellionibus deterreret, quippe quibus, dum haec condicio eadem maneret, nihil aliud effici posse sibi videretur, nisi ut in etiam deteriorem statum transirent. Attamen licet hunc libellum non sane habiliter ac polite scriptum esse inter omnes constet, licetque, id quod e Platonis Phaedro (257 C. D)[121]) videmus, ne eo quidem tempore, quo Archinus orationem in Thrasybulum habuit, et haud dubie ne eo quidem, quo Plato dialogum illum edidit, solutae orationis scriptor admodum honoratus apud Athenienses esset, sed facile cum sophistis confunderetur, nihilominus alios similes libellos[122]) et illos quidem Attica item dialecto usos iam ante hunc emissos fuisse aut saltem ante Gorgiae Epitaphium vel complures vel unum nescio cur credam: immo qui summam adhibere vult cautionem, ei certe non, id quod fecit Hiller[123]), hoc asseverandum, sed in medio res relinquenda est. Et litterarum Atticarum prosa artificiosa scriptarum conditorem Gorgiam ut olim habui, ita ne nunc quidem habere desino. Quod quid sibi vellet, ut Hiller[124]) non satis comprehenderet, non mea mihi culpa videtur esse factum. Vix enim ab ipso Hillero postulatum iri puto, ut ei explicem, quid sibi velit, quod libellum Pseudoxenophonteum sine arte, Epitaphium Gorgiae cum arte et ea haud dubie nimia scriptum esse assentiente, ut opinor, etiam Hillero censeo. Documenta non solum publica, sed etiam privata epistulasque et quae sunt eiusmodi etiam antea Athenis Attice esse exarata, quis est qui vel nesciat vel neget? sed prosam Atticam litterarum historiae, si ita dicere licet, partem ex his nemo, qui sanae mentis est, construere volet[125]): transitum facit libellus Pseudoxenophonteus et si quid iam ante annum fere 420 aliud simile opusculum revera extabat: erat enim non omnibus omnis generis lectoribus destinatus, sed epistula quodammodo erat, non tamen ad unum, verum ad plures missa, ut recitaretur in conventibus factionum et apographa legerentur ab eis, qui earundem partium essent. Neque Andocidis πρὸς τοὺς ἑταίρους λόγος anno fere 418 ortus[126]) alius generis erat. Contra Antiphon Rhamensius λόγον πρὸς Ἀλκιβιάδην — sive quisquis alius huius libelli titulus erat[127]) — eodem fere tempore scripsit, ut hoc opusculum quam plurimi legerent eoque lecto contra Alcibiadem irritarentur. Praeterea alio modo transitum fecerunt prooemia illa orationum iudi-

121) V. quae de huius loci sententia exposui in Ann. phil. CXXI. p. 710 sqq.

122) Germanice dixerimus „politische Flugschriften".

123) L. l. p. 145. Ipsa eius verba repetam: „kleinere attische Schriftstücke von praktischem oder „tendenziösem Inhalt sind schon vor der Veröffentlichung des Epitaphios in Umlauf gesetzt worden. Dies ergiebt „sich aus der Existenz der Schrift vom Staate der Athener, welche . . . wir darum, weil sie uns durch Zufall „erhalten ist, doch nicht berechtigt sind für die älteste ihrer Art zu erklären". Respondeo hoc additamento: „aber doch mindestens eben so wenig desshalb nicht für die älteste".

124) Eodem loco.

125) Quid igitur contra me se demonstrasse putet Hiller verbis his: „Leidlich gute Sätze in attischer „Mundart vermochte man natürlich schon vor Gorgias' Auftreten, zu der Zeit da Perikles Reden hielt und Kra- „tinos Komödien dichtete" (cur non memorat tragicos?), „zu bilden", equidem non assequor.

126) V. Kirchhoff. Andocidea, in Herm. I (1866). p. 1—20.

127) Cf. de Wilamowitz. Herm. XI (1876). p. 295—298. Sauppe. Or. Att. II. p. 144. Blass. l. l. p. 328.

cialium, quorum rationem iam anno 423 habuit Cratinus (Πυτ. fr. 4), a Blassio[128]) admodum probabiliter eidem Antiphonti tributa. At Antiphon, si Gorgiae auditor propter aetatem iam provectam non fuerat, id quod in medio relinquo, certe in scribendi ratione se praebebat eius discipulum[129]). Accedit quod ne hoc quidem certum est, Epitaphium antiquissimum fuisse Gorgiae operum Attica dialecto scriptorum.

Igitur haud male Blassius[130]): „man muss nur die Sache nicht auf die Spitze trei- „ben: es kann recht wohl sein, dass auch vor Gorgias' Epitaphios bereits ein Athener attisch „geschrieben hatte; das Wichtigste ist bei Gorgias, dass er als Ausländer dies that, und so- „dann der Erfolg seiner litterarischen Leistung": at propter ipsum hunc successum adicere meo iure mihi videor: „aber der eigentliche Schöpfer und Begründer einer attischen Prosa- „litteratur bleibt er eben damit doch". Sed quamquam historici et philologi non est quaerere, si quid factum non esset, anne hoc vel illud tunc esset factum, tamen, ne nimium velle Gorgiae tribuere videar, etiam aliud quid adicio: lentius procul dubio sine eo progressa esset prosa Attica, sed mansisset etiam a vitiis Gorgianae dictionis liberior.

---

128) Quamquam extabant etiam Thrasymachi prooemia nescio quo tempore scripta (Ath. X. 416 a), de quibus haud plane consentio cum Blassio l. l. I. p. 243 sq. Deliberativarum orationum prooemia primus edidisse videtur Critias (Hermog. Rhet. Gr. II. p. 416 Speng.), prooemia et epilogos Cephalus Collytius, v. Blass. l. l. III. p. 1 sq.

129) Cf. Blass. l. l. I. p. 113—136. Ceterum etiam Thrasymachi elocutio orta est e Gorgiana, cf. Blass. l. l. I. p. 246 sqq. III. 2. p. 331.

130) In Bursiani rell. XXI (1880). p. 181.

I. SCHOLAE THEOLOGORUM.

1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. O. ZOECKLER, P. P. O. DEC.

I) Publice 1) seminari theologici exercitationes ad historiam ecclesiasticam pertinentes moderabitur die Lun. hor. VI et VII; 2) carminum sacrorum ecclesiae evangelicae historiam tradet die Merc. hor. III. — II) Privatim 1) encyclopaediam et methodologiam theologicam docebit dieb. Mart. Iov. Ven. hor. VIII; 2) historiam dogmatum ecclesiae Christianae enarrabit quinquiens p. h. hor. IX; 3) apologeticen Christianam docebit quater p. h. hor. III.

Dr. I. GUIL. HANNE, P. P. O.

I) Publice de resurrectione Iesu Christi disseret die Merc. hor. XII. — II) Privatim 1) Schleiermacheri vitam breviter enarrabit eiusdemque viri theologiam dogmaticam et moralem adumbrabit bis p. h. hor. XII; 2) theologiae practicae partem II. tradet dieb. Lun. et Iov. hor. XII.

Dr. H. CREMER, P. P. O.

I) Publice 1) de fide inter Christianos restituenda et propaganda disseret die Merc. hor. IV; 2) seminari theologici exercitationes ad theologiam dogmaticam spectantes moderari perget die Mart. hor. VI et VII; 3) studiis et laboribus instituti theol. pract. praeerit die Ven. hor. VI et VII. — II) Privatim 1) theologiae dogmaticae partem priorem tradet quinquiens p. h. hor. XI; 2) epistulam ad Hebraeos datam illustrabit quinquiens p. h. hor. X.

Dr. ER. HAUPT, P. P. O.

I) Publice 1) seminari theologici exercitationes ad Nov. Test. spectantes moderabitur die Iov. hor. VI et VII; 2) proseminari exegetici sodalibus epistulae ad Romanos datae capp. 12—14 interpretanda proponet die Mart. hor. VI et VII; 3) de indole et natura Scripturae Sacrae nec non de ratione eam recte interpretandi disseret die Sat. hor. IX et X. — II) Privatim 1) theologiam Novi Testamenti tradet sexiens p. h. hor. VIII mat.; 2) evangelium Ioanneum interpretabitur quinquiens p. h. hor. X.

Dr. C. BREDENKAMP, p. p. o.

I) Publice seminari theologici exercitationes in Vetere Testamento interpretando versantes moderabitur die Merc. hor. VI et VII. — II) Privatim 1) prophetas minores interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. VII mat.; 2) vaticinia, quae ad Messiam spectant, tractabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. IV.

2) PROFESSORIS EXTRAORDINARII.

Lic. Dr. F. GIESEBRECHT, p. p. e.

I) Publice grammaticam Hebraeam docebit die Merc. hor. IV et V. — II) Privatim librum Geneseos interpretabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. V.

II. SCHOLAE IURECONSULTORUM.

1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. I. BEHREND, p. p. o. dec.

I) Publice exercitationes iuris Germanici in seminario iuridico moderabitur die Sat. hor. XI et XII. — II) Privatim 1) ius Borussicum privatum quinquiens p. h. hor. VIII; 2) historiam iuris Germanici quinquiens p. h. hor. IX docebit.

Dr. C. F. W. H. HAEBERLIN, p. p. o.

I) Publice exercitationibus iuris criminalis praeerit die Sat. hor. V. — II) Privatim 1) ius publicum Germanicum quater p. h. hor. X; 2) ius administrationis dieb. Merc. et Sat. hor. X et XI; 3) processum criminalem quater p. h. hor. XI docebit.

Dr. E. R. BIERLING, p. p. o.

I) Publice de fontibus iuris ecclesiastici disseret semel p. h. hor. XII. — II) Privatim ius ecclesiasticum Evangelicorum et Catholicorum tradet quater vel quinquiens p. h. hor. XII.

Dr. L. SEUFFERT, p. p. o.

I) Publice exercitationes practicas in seminario iuridico moderabitur die Ven. hor. V. — II) Privatim 1) institutiones et historiam iuris Romani dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. XI et XII; 2) ius hereditarium die Merc. hor. IX, die Sat. hor. IX et X docebit.

Dr. E. PESCATORE, p. p. o.

I) Publice exercitationes iuris Romani exegeticas in seminario iuridico moderabitur die Mart. hor. V. — II) Privatim pandectarum partem priorem, h. e. partem generalem, iura in re, obligationes tradet quinquiens p. h. hor. XI et XII.

2) PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

Dr. F. STOERK, p. p. e.

I) Publice exercitationes iuris publici et iuris gentium moderabitur die Sat. hor. XI. — II) Privatim 1) philosophiam iuris docebit dieb. Lun. Merc. Ven. hor. X; 2) de Borussiae administratione publica nec non de modo procedendi in causis publicis disseret dieb. Mart. et Ven. hor. IX; 3) constitutionem imperi Germanici cum constitutionibus singulorum eius regnorum urbiumque liberarum comparabit examinatorium adiunctus die Merc. hor. XI et XII.

Dr. O. FISCHER, p. p. e.

I) Publice qua ratione sententiae et decreta iudicum corrigi vel rescindi possint, demonstrabit die Mart. hor. VIII. — II) Privatim processum civilem Germanicum tractabit quater p. h. hor. IV.

3) PRIVATIM DOCENTIS.

Dr. R. MEDEM, priv. doc.

Privatim 1) ius criminale quater p. h.; 2) ius gentium ter p. h. docebit hor. def.

III. SCHOLAE MEDICORUM.

1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. H. C. A. PERNICE, p. p. o. dec.

I) Publice de morbis mulierum doctrinae part. II. tradet die Lun. hor.. V. — II) Privatim 1) theoriam artis obstetriciae docebit dieb. Mart. Iov. Ven. hor. XII; 2) exercitationes clinicas gynaecologicas moderabitur dieb. Lun. Merc. Sat. hor. XII, ceteris dieb. hor. VIII.

Dr. IULIUS BUDGE, p. p. o.

I) Publice isagogen in studium anatomicum tradet die Ven. hor. X. — II) Privatim anatomiae corporis humani partem secundam, i. e. organorum urogenitalium anatomiam, angiologiam, neurologiam docebit quater p. h. hor. X.

Dr. FR. GROHÉ, p. p. o.

I) Publice de tumoribus doctrinae partem alteram tractabit semel p. h. hor. def. — II) Privatim 1) anatomiae pathologicae specialis partem primam demonstrationes additurus tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. hor. VII mat.; 2) cursum anatomiae et physiologiae pathologicae practicum instituet dieb. Mart. et Ven. hor. XII, dieb. Merc. et Sat. hor. VIII et IX.

Dr. Fr. MOSLER, p. p. o.

I) Publice policlinicas relationes moderabitur semel p. h. hor. VIII. — II) Privatim 1) cursum practicum de diagnostice physica dieb. Lun. Mart. Iov. hor. VIII; 2) exercitationes clinicas et policlinicas medicas dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. inde ab hor. IX, reliquis dieb. inde ab hor. X usque ad hor. XI moderabitur.

Dr. L. LANDOIS, p. p. o.

I) Publice exercitationibus et physiologicis et histologicis eorum commilitonum, qui in his rebus iam magis versati sunt, praeerit cotidie hor. def. — II) Privatim 1) physiologiae experimentalis partem alteram docebit cotidie hor. XI; 2) historiam generationis et evolutionis enarrabit dieb. Iov. Ven. Sat. hor. IX; 3) cursum physiologiae experimentalem et in demonstrationibus versantem instituet dieb. Mart. et Merc. hor. V et VI.

Dr. R. SCHIRMER, p. p. o.

I) Publice de vitiis oculorum opticis disseret die Merc. hor. VII mat. — II) Privatim 1) ophthalmiatricen tradet dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. III et die Sat. hor. VII mat.; 2) exercitationes clinicas ophthalmiatricas moderabitur dieb. Merc. et Sat. hor. III hominesque oculorum morbis affectos extraneos monstrabit cotidie hor. XII.

Dr. P. VOGT, p. p. o.

I) Publice de orthopaedia disseret die Merc. hor. VIII. — II) Privatim 1) exercitationibus operationum chirurgicarum in cadavere instituendis praeerit cotidie hor. VII et VIII mat.; 2) exercitationes clinicas et policlinicas chirurgicas moderabitur dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. inde ab hor. X et dimid. usque ad hor. XII, dieb. Merc. et Sat. inde ab hor. XI usque ad hor. XII.

Dr. H. SCHULZ, p. p. o.

I) Publice medicinae historiam tradet die Ven. hor. IV. — II) Privatim 1) pharmacologiae partem alteram docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. IV; 2) practicum therapeuticum moderabitur bis p. h. hor. def. — III) Privatissime et gratis studia singulorum commilitonum in pharmacologia experimentali versantia moderabitur hor. def.

2) PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

Dr. C. EICHSTEDT, p. p. e.

I) Publice exercitationes obstetricias in phantomate instituet die Sat. hor. II. — II) Privatim 1) de morbis cutaneis demonstrationes practicas additurus disseret dieb. Lun. et Iov. hor. II; 2) de morbis syphiliticis item demonstrationes practicas adiuncturus aget dieb. Mart. et Ven. hor. II.

Dr. G. HAECKERMANN, p. p. e.

I) Publice de morbis contagiosis, quoad spectant ad hygieinen publicam et politiam medicam, disseret dieb. Mart. et Sat. hor. III. — II) Privatim medicinam forensem tractabit dieb. Lun. Iov. Ven. hor. III.

Dr. R. ARNDT, p. p. e.

I) Publice biologiam generalem tradet bis p. h. hor. def. — II) Privatim 1) encyclopaediam et methodologiam artis medicae docebit dieb. Lun. et Mart. hor. IX; 2) exercitationibus clinicis psychiatricis praeerit dieb. Lun. Mart. Ven. Sat. hor. VIII.

Dr. P. KRABLER, p. p. e.

I) Publice de vaccinatione disseret et vaccinandi operationes moderabitur die Merc. hor. XII. — II) Privatim 1) infantes aegrotos extraneos monstrabit dieb. Mart. Iov. Ven. hor. XII; 2) diagnosticen physicam docebit dieb. Mart. Iov. Ven. hor. III.

Dr. F. SOMMER, p. p. e.

I) Publice capita selecta anatomiae corporis humani tractabit semel p. h. hor. def. — II) Privatim 1) histologiam et anatomiam microscopicam demonstrationes adiuncturus docebit dieb. Lun. Merc. Ven. hor. IV; 2) situs intestinorum corporis humani demonstrabit dieb. Mart. et Iov. hor. IV.

Dr. F. RINNE, p. p. e.

I) Publice exercitationes chirurgicas propaedeuticas moderabitur dieb. Mart. et Ven. hor. II. — II) Privatim chirurgiae specialis partem primam tradet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. V.

Dr. F. de PREUSCHEN, p. p. e.

I) Publice de morbis recens natorum aget die Lun. hor. V. — II) Privatim 1) operationes obstetricias moderabitur exercitationibusque in phantomate instituendis praeerit dieb. Mart. et Ven. hor. VIII; 2) de morbis mulierum disseret dieb. Merc. et Iov. hor. V.

Dr. A. BUDGE, p. p. e.

I) Publice technicam microscopicam in usum eorum commilitonum, qui in exercitationibus microscopicis iam magis versati sunt, docebit semel p. h. hor. def. — II) Privatim 1) osteologiam et syndesmologiam tractabit dieb. Lun. Mart. Merc. hor. VII mat.; 2) cursum microscopicum moderabitur dieb. Iov. Ven. Sat. hor. VII et VIII mat.

3) PRIVATIM DOCENTIUM.

Dr. A. BENGELSDORFF, priv. doc.

Publice de nutrimentis nec non de diaetetice disseret dieb. Merc. et Sat. hor. IX.

Dr. O. BEUMER, priv. doc.

Privatim de hygieine publica et politia medica disseret bis p. h. hor. VI.

Dr. P. STRUEBING, priv. doc.

I) Publice de morbis organorum uropoëticorum disseret semel p. h. hor. def. — II) Privatim de morbis laryngis exercitationes laryngoscopicas practicas adiuncturus aget dieb. Mart. et Ven. hor. V, die Sat. hor. III.

Dr. K. LOEBKER, priv. doc.

I) Publice de operationibus plasticis disseret die Iov. hor. IV. — II) Privatim 1) akiurgiam docebit dieb. Lun. Mart. Merc. hor. IV; 2) de fasciis et instrumentis chirurgicis exercitationes adiuncturus aget dieb. Ven. et Sat. hor. IV.

Dr. T. SCHONDORFF, priv. doc.

Privatim exercitationes policlinicas otiatricas moderabitur dieb. Lun. Merc. Sat. hor. II.

IV. SCHOLAE PHILOSOPHORUM.

1) PROFESSORUM ORDINARIORUM.

Dr. H. SCHWANERT, p. p. o. dec.

I) Publice 1) capita selecta chemiae technicae tractabit die Sat. hor. XI; 2) colloquia de rebus chemicis pharmaceuticis habebit dieb. Lun. et Iov. hor. III et IV. — II) Privatim 1) pharmaciae partem alteram exponet dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. VII mat.; 2) chemiam analyticam docebit dieb. Ven. et Sat. hor. VII mat.; 3) praxin chemicam una cum professore Limpricht instituet senis et duodenis et tricenis p. h. hor. def.

Dr. E. BAUMSTARK, p. p. o.

I) Publice de constitutione regni Borussici expositurus est die Iov. hor. III. — II) Privatim reditus reipublicae moderandos docebit dieb. Mart. Merc. Iov. Ven. Sat. hor. III.

Dr. A. H. A. I. MUENTER, p. p. o.

I) Publice familias plantarum phanerogamarum selectas illustrabit die Sat. hor. V et VI et excursiones botanicas instituet die Solis. — II) Privatim morphologiam et physiologiam plantarum phanerogamarum et botanicen systematicam docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. V et VI.

Dr. F. C. O. l. b. de FEILITZSCH, p. p. o.

I) Publice meteorologiam tractabit dieb. Merc. et Sat. hor. XII. — II) Privatim physices experimentalis universalis partem secundam et illam quidem, in qua de motionibus undantibus agitur, docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. XII.

Dr. A. H. BAIER, p. p. o.

I) Publice isagogen in philosophiam tradet dieb. Merc. et Sat. hor. XI. — II) Privatim universam philosophiae historiam enarrabit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. Ven. hor. XII. — III) Privatissime et gratis exercitationes philosophicas moderabitur, Kantii criticam rationis purae interpretaturus die Sat. hor. V.

Dr. H. LIMPRICHT, p. p. o.

I) Publice de selectis quibusdam chemiae locis disseret semel p. h. hor. def. — II) Privatim 1) chemiae partem priorem tradet sexiens p. h. hor. VIII; 2) praxin chemicam una cum professore Schwanert instituet senis et duodenis et tricenis p. h. hor. def.

Dr. GUIL. AHLWARDT, p. p. o.

I) Publice grammaticam linguae Arabicae docebit dieb. Lun. et Iov. hor. IV. — II) Privatim 1) selecta Qorani capita explicabit dieb. Mart. Merc. Ven. Sat. hor. IV; 2) grammaticam linguae Persicae docebit bis p. h. hor. def.

Dr. F. F. C. E. SUSEMIHL, p. p. o.

I) Publice isagogen in studium Platonis et Aristotelis tradet dieb. Merc. et Sat. hor. XII. — II) Privatim historiam litterarum Graecarum aetatis Alexandrinae enarrabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. XII. — III) Privatissime sed gratis in exercitationibus Aristotelicis politicos Aristotelis libros commilitonibus interpretandos proponere perget bis p. h. hor. def.

Dr. A. PREUNER, p. p. o.

I) Publice exercitationes archaeologicas et mythologicas moderabitur die Sat. hor. III et IV. — II) Privatim archaeologiam artium Graecarum docebit ter p. h. hor. def.

Dr. A. KIESSLING, P. P. O.

I) Publice in seminario philologico interpretabitur Taciti dialogum die Merc. hor. X et XI et Vergili eclogas die Lun. hor. III. — II) Privatim etymologiam Latinam enarrabit quinquiens p. h., quater hor. X et die Merc. hor. IV.

Dr. GUIL. SCHUPPE, P. P. O.

I) Publice exercitationes philosophicas moderabitur die Merc. hor. VI. — II) Privatim paedagogicen docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. VIII.

Dr. H. ULMANN, P. P. O.

I) Publice in seminario historico exercitationes ad historiam medii aevi temporumque recentiorum pertinentes moderabitur die Merc. hor. VIII et IX. — II) Privatim res imperatorum Germanicorum gestas inde a Carolo magno enarrabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. XII.

Dr. GUIL. THOMÉ, P. P. O.

I) Publice seminari mathematici exercitationes moderabitur die Merc. hor. X et XI. — II) Privatim 1) mechanicam superiorem docebit dieb. Lun. et Iov. hor. X et XI; 2) de superficiebus curvis et lineis duplicis curvaturae disseret dieb. Mart. et. Ven. hor. X et XI.

Dr. A. GERSTAECKER, P. P. O.

I) Publice ichthyologiam, i. e. piscium morphologiam et dispositionem systematicam tradet die Merc. hor. IX. — II) Privatim zoologiam systematicam et medicinalem docebit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. IX. — III) Privatissime cursum zootomicum practicum instituet quater p. h. hor. X et XI.

Dr. AL. REIFFERSCHEID, P. P. O.

I) Publice 1) in proseminario Germanico specimina Gotica, Theotisca, Saxonica tractabit die Merc. hor. V et VI; 2) seminari Germanici sodalibus carmen Nibelungorum proponet die Ven. hor. V et VI. — II) Privatim 1) grammaticam historicam linguae Germanicae docebit dieb. Lun. Merc. Ven. hor. XI; 2) de carmine Nibelungorum disseret dieb. Mart. et Iov. hor. XI.

Dr. G. KAIBEL, P. P. O.

I) Publice in seminario philologico lyricorum Graecorum reliquias et Ciceronis de optumo genere dicendi libellum interpretabitur die Sat. hor. X et XI et die Iov. hor. III. — II) Privatim 1) Aeschinis Ctesiphonteam explicabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. IX; 2) lyricae poesis Graecorum historiam enarrabit dieb. Lun. Mart. Iov. hor. IV.

Dr. E. KOSCHWITZ, P. P. O.

I) Publice in seminario Romanensi exercitationes Provinciales moderabitur die Sat. hor. XI et XII. — II) Privatim 1) historiam litterarum Provincialium medii aevi tradet dieb. Merc. Iov. Ven. hor. IX; 2) grammaticae linguae Francogallicae partem primam docebit dieb. Lun. et Mart. hor. IX, dieb. Merc. et Sat. hor. VIII.

Dr. H. ZIMMER, P. P. O.

I) Publice in studium grammaticae linguarum Indogermanicarum comparatae commilitones introducet dieb. Merc. et Sat. hor. VIII. — II) Privatim grammaticam linguae Sanscritae comparatam docebit Lun. Mart. Iov. hor. XII. — III) Privatissime et gratis textus selectos linguae Hibernicae veteris et mediae aetatis interpretari perget die Ven. hor. XI et XII.

Dr. TH. LIEBISCH, P. P. O.

I) Publice exercitationes crystallographicas et mineralogicas moderabitur die Sat. hor. X. — II) Privatim 1) mineralogiam docebit dieb. Lun. Mart. Merc. Iov. hor. VII mat.; 2) petrographiam tradet bis p. h. hor. def. — III) Privatissime in instituto mineralogico operaturis aderit cotidie.

2) PROFESSORUM EXTRAORDINARIORUM.

Dr. M. SCHOLZ, P. P. E.

Propter absentiam lectiones non habebit.

Dr. MINNIGERODE, P. P. E.

I) Publice exercitationes in seminario mathematico moderabitur die Sat. hor. X et XI. — II) Privatim 1) geometriam analyticam plani docebit quater p. h. hor. IX; 2) de problematis physicis ad aequationes differentiales partiales spectantibus disseret quater p. h. hor. VIII.

Dr. F. BAUMSTARK, P. P. E.

I) Publice 1) de nutrimentis chemice examinandis disseret semel p. h. hor. def.; 2) lotii analysin docebit die Ven. hor. V. — II) Privatim chemiam physiologicam medicinae et chemiae studiosis tradet ter p. h. hor. def.

Dr. C. TH. PYL, P. P. E.

I) Publice de finibus artium litterarumque atque de artissimo vinculo inter religionem et artes secundum monumenta disseret bis p. h. hor. XI. — II) Privatim historiam monasteri Hildensis tradet bis p. h. hor. XI. — III) Privatissime sed gratis de antiquitatibus Pomeraniae disputationes nec non exercitationes diplomaticas secundum monumenta artium litterarumque moderabitur bis p. h. hor. XI.

Dr. RUD. CREDNER, p. p. e.

I) Publice 1) exercitationes et excursiones geographicas moderabitur hor. et dieb. def.; 2) orogenesin tractabit semel p. h. hor. def. — II) Privatim geographiam Australiae et Americae docebit quater p. h. hor. VII mat.

Dr. O. SEECK, p. p. e.

I) Publice exercitationes seminari historici antiquitatem Graecam et Romanam spectantes moderabitur die Lun. hor. VI et VII. — II) Privatim historiam populorum Graecorum inde a bello Persico enarrabit dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. XI.

Dr. M. KONRATH, p. p. e.

I) Publice in seminario Anglico exercitationes moderabitur die Merc. hor. X et XI. — II) Privatim historiam litterarum Anglicarum enarrare perget dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. X.

Dr. F. VOGT, p. p. e.

I) Publice 1) de Schilleri fabulis disseret semel p. h. hor. IV; 2) exercitationes Theodiscas instituet semel p. h. hor. def. — II) Privatim in lyricam Germanorum medii aevi poesin commilitones introducturus carmina selecta saeculi XII. interpretabitur bis p. h. hor. V.

Dr. E. BERNHEIM, p. p. e.

I) Publice exercitationes historicas de Einhardi vita Caroli moderabitur die Sat. hor. VIII. — II) Privatim isagogen in studium historicum tradet quater p. h. hor. VIII.

Dr. TH. ZACHARIAE, p. p. e.

I) Publice comparatam linguarum Sanscritae Graecae Latinae declinationem tradet semel p. h. hor. def. — II) Privatim in dialectos Prâcritas commilitones introducet et Ratnâvalîm interpretandam proponet bis p. h. hor. def.

3) PRIVATIM DOCENTIS.

Dr. G. HOLTZ, priv. doc.

I) Publice physicen terrae tractabit dieb. Lun. et Mart. hor. III. — II) Privatim physicen medicinalem docebit dieb. Iov. Ven. Sat. hor. III.

ARTIUM MAGISTRI.

Dr. G. Marx, lector, I) Publice isagogen in studium linguae Anglicae tradet bis p. h. hor. def. — II) Privatim de stilo linguae Anglicae disseret bis p. h. hor. def.

G. Bemmann, concent. music. director, publice de relatione harmonica ac modulatione et de cantu ecclesiastico disseret bis p. h. hor. def.

O. Droenewolf, publice 1) cantum ecclesiasticum docebit bis p. h. hor. def.; 2) theoriam musices docere perget disserturus de relatione harmonica ac modulatione bis p. h. hor. def.

E. Weiland publice artem delineandi docebit quater p. h. hor. def.

H. Range, 1) exercitationes gymnicas moderandi praecepta tradet die Iov. hor. VIII vesp.; 2) exercitationes gymnicas moderabitur binis p. h. hor. vesp. def.; 3) instrumenta, quae ad corpora exercenda adhibeantur, cognoscenda curabit hor. def.; 4) artem rudibus batuendi docebit hor. def.

INSTITUTA PUBLICA.

Bibliotheca academica, cui praesunt Prof. Staender, Dr. Mueldener, I. Cust., Prof. Vogt, II. Cust., Dr. Babad, III. Cust., dieb. Lun. Mart. Iov. Ven. hor. XI—I, dieb. Merc. et Sat. hor. II—IV studiosis patebit.

Museum litterarum curant Professores Zoeckler, Seuffert, Landois, Limpricht, Kiessling.

Seminari theologici exercitationes reguntur ab Ordine theologorum.

Societatis homiletico-catecheticae studia ac labores moderatur Cremer Prof.

Seminari iuridici exercitationes moderantur Behrend Prof., Seuffert Prof., Fischer Prof.

Theatrum anatomicum administrat I. Budge Prof., assistente Sommer Prof., qui Prosectoris munere fungitur, adiutore A. Budge Prof.

Museo anatomico praepositus est I. Budge Prof., adiutoribus Sommer Prof. et A. Budge Prof.

Instituto physiologico praepositus est Landois Prof., adiutoribus Sonnberg et Kruse.

Instituto pathologico-anatomico praepositus est Grohé Prof., adiutore Rieger Dre.

Museo pathologico-anatomico praepositus est Grohé Prof., adiutore Rieger Dre.

Collectis praeparatis pharmaceuticis praeest Schulz Prof., adiutore Thol.

Nosocomio Universitatis praesunt Mosler Prof., Vogt Prof. — administr. Brandtner — calculatore Stempel — assist. Peiper Dre., Hoffmann Dre. et Schmidt Dre. — adiutore Wentz.

Instituti clinici medici curam habet Mosler Prof., assistente Hesse Dre., adiut. Trantow.

Instituti clinici chirurgici curam habet Vogt Prof., assistente Loebker Dre., adiutore P. Mueller Dre.

Instituti ophthalmiatrici curam habet Schirmer Prof., assistente Dieterich Dre.
Instituti obstetricii curam habet Pernice Prof., assistentibus Beumer Dre. et Briese Dre., adiutore Berth.
Instituto clinico psychiatrico praeest Arndt Prof., adiutore Kriese.
Instrumenta, quae ad physicen pertinent, custodit de Feilitzsch Prof., assistente G. Holtz Dre.
Seminari mathematici exercitationes moderantur Thomé Prof. et Minnigerode Prof.
Instrumenta astronomica custodit Thomé Prof.
Museo zoologico praeest Gerstaecker Prof.
Museo botanico praepositus est Muenter Prof.
Hortum botanicum curant Muenter Prof., Dr. Goeze inspector.
Museo mineralogico praepositus est Liebisch Prof.
Institutum chemicum moderantur Limpricht Prof. et Schwanert Prof., adiutoribus F. Baumstark Prof., Ziegler, Kornatzki Dre.
Seminarium philologicum moderantur Kiessling Prof. et Kaibel Prof.
Seminarium Germanicum moderatur Reifferscheid Prof.
Seminarium Anglico-Romanense moderantur Koschwitz Prof. et Konrath Prof.
Seminarium historicum moderantur Ulmann Prof. et Seeck Prof.
Gypsothecae et antiquitatum museo praeest Preuner Prof.
Apparatui geographico praeest Credner Prof.
Museo antiquitatum Pomeraniae praeest Pyl Prof.

SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

HOR.	THEOLOGICAE.	IURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
VII	Proph. min., quater.		Anat. pathol. p. I., quinquiens. Vit. oculorum, semel. Ophthalmiatr., semel. Exercc. operatt. chirurg., sexiens. Osteol. et synd., ter. Curs. microsc., ter.	Chem. anal., bis. Pharm. p. II., quater. Mineral., quater. Geogr. Austral. et Amer., quater.
VIII	Encyclop., ter. Theol. Nov. Test., sexiens.	Ius Boruss., quinquiens. De rat. resc. sentt., semel.	Exercc. gynaecol., ter. Curs. anat. pathol., bis. Relatt. policlin., semel. Diagn. phys., ter. Orthopaed., semel. Exercc. operatt. chirurg., sexiens. Exercc. clin. psychiatr., quater. Operatt. obstetr., bis. Curs. microsc., ter.	Chem. p. I., sexiens. De problemm. phys. ad aequatt. spect., quater. Paedag., quater. Isag. in stud. gramm. lingg. Indogerm. comp., bis. Gramm. ling. Francogall. p. I., bis. Isag. in stud. hist. quater. Sem. hist., semel. Exercc. hist., semel.
IX	Hist. dogmat. chr., quinquiens. De indole et nat. Script. S., semel.	Ius hered., bis. Hist. iur. German., quinquiens. De Boruss. admin. publ., bis. Exercc. iur. publ. et gent., semel.	Exercc. clin. med., quater. Curs. anat. path., bis. Encycl. med., bis. De nutrimentis, bis. Hist. generat., ter.	Zool. syst. et med., quater. Ichthyol., semel. Geom. analyt. plani, quat. Aeschin. Ctesiph., quater. Gramm. ling. Francogall. p. I., bis. Hist. litt. Provinc., ter. Sem. hist., semel.
X	Ev. Ioann., quinquiens. De ind. et nat. Script. S., semel. Ep. ad Hebr., quinquiens.	Philos. iur., ter. Ius hered., semel. Ius publ. Germ., quat. Ius admin., bis.	Isag. in stud. anat., semel. Anatomiae p. II., quater. Exercc. clin. med., sexiens. Exercc. clin. chirurg., quater.	Mechan. super., bis. De superficc. curv. et lin. dupl. curvat., bis. Sem. math., bis. Exercc. cryst. et mineral., semel. Curs. zootom. pract., quat.

SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

HOR.	THEOLOGICAE.	IURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
X				Etymol. Latin., quater. Sem. philol., bis. Hist. litt. Angl., quater. Sem. Angl., semel.
XI	Theol. dogm. p. I., quinquiens.	Institt. et hist. iur. Rom., quater. Pandectt.,quinquiens. Proc. crim., quater. Constitt. imp. Germ., semel. Ius admin., bis. Exercc. iur. Germ., semel.	Exercc. clin. chirurg., sexiens. Physiol., sexiens.	Mechan. super., bis. De superficc. curv. et lin. dupl. curvat., bis. Sem. math., bis. Curs. zootom. pract., quat. Capp. sel. chem. techn., semel. Isag. in philos., bis. Sem. philol., bis. Hist. popull. Graec., quat. Gramm. hist. ling. Germ., ter. Carm. Nibelung., bis. Textus sel. ling. Hibern., semel. Sem. Roman., semel. Sem. Angl., semel. De finn. art. et litt., bis. Hist. monast. Hild., bis. Antiquitt. Pomer., bis.
XII	De resurr. I. Christi, semel. Schleiermacheri vita, bis. Theol. pract., bis.	Institt. et hist. iur. Rom., quater. Pandectt.,quinquiens. Constitt. imp. Germ., semel. Ius admin., bis. Ius eccl., quater vel quinquiens. De fontt. iur. eccl., semel. Exercc. iur. Germ., semel.	Theor. art. obstetr., ter. Exercc. gynaec., ter. Curs. anat. path., bis. Policl. ophthalm., sexiens. Vaccinatio, semel. Policlin. infant. aegrot., ter.	Hist. philos., quinquiens. Isag. in Plat. et Aristot., bis. Hist. litt. Graec. aet. Alexandr., quater. Res imperatt. Germ. gest., quater. Gramm. ling. Sanscr. compar., ter. Textus sel. ling. Hibern., semel.

SCHOLAE INDICE HORARIO DESCRIPTAE.

HOR.	THEOLOGICAE.	IURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
XII				Sem. Roman., semel. Phys. experim. p. II., quater. Meteorol., bis.
II			Exercc. in phantom., semel. Morbi cutanei, bis. Morbi, syphil., bis. Exercc. chirurg. propaed., bis. Exercc. policl. otiatr., ter.	
III	Apologet., quater. Hist. carmm. sacr., semel.		Ophthalmiatr., quater. Exercc. clin. ophthalm., bis. Morbi contag., bis. Med. forens., ter. Diagn. phys., ter. Morbi laryng., semel.	Redit. reipublic. moder., quinquiens. Constit. regn. Boruss., semel. Prosemin. philol., bis. Exercc. archaeol. et mythol., semel. Colloqu.pharm.chem.,bis. Phys. terr., bis. Phys. medic., ter.
IV	De fide inter Christianos rest. et prop., semel. Haticc. ad Messiam spect., quater. Gramm. Hebr., semel.	Proc. civ., quater.	Hist. medicinae, semel. Pharmacol. p. II., quater. Histol. et anat. microsc., ter. Situs intestin., bis. Akiurgia, ter. De fasciis, bis. Operatt. plast., semel.	Gramm. ling. Arab., bis. Capp. sel. Qorani, quater. Etymol. Lat., semel. Exercc. archaeol. et mythol., semel. Hist. lyr. poes. Graec., ter. De Schilleri fabb., semel. Colloqu.pharm.chem.,bis.
V	Genes., quater. Gramm. Hebr., semel.	Exercc. exeg., semel. Exercc. pract., semel. Exercc. iur. crim., semel.	Morbi mulier., semel. Chirurg. spec. p. I., quater. Morbi recens nat., semel. Morbi mulier., bis. Morbi laryng., bis.	Famm. plantt. phanerog. sel., semel. Morphol.etphysiol.plantt. phanerog., quater. Botan. system., quater.

HOR.	THEOLOGICAE.	IURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
V			Curs. physiol., bis.	Carmm. sel. lyr. Germ. med. aevi, bis. Prosemin. Germ., semel. Sem. Germ., semel. Sem. hist., semel. Exercc. philos., semel. Lot. anal., semel.
VI	Exercc. in Vet. T. interpr., semel. Exercc. in N. T. int., semel. Exercc. ad hist. eccl. spect., semel. Exercc. dogm., semel. Exercc. pract., semel.		Hygiene publ. et polit. med., bis. Curs. physiol., bis.	Famm. plantt. phanerog. sel., semel. Morphol. et physiol. plantt. phanerog., quater. Botan. system., quater. Prosemin. Germ., semel. Sem. Germ., semel. Sem. hist., semel. Exercc. philos., semel.
VII	Exercc. in Vet. T. interpr., semel. Exercc. in N. T. int., semel. Exercc. ad hist. eccl. spect., semel. Exercc. dogm., semel. Exercc. pract., semel.			Sem. hist., semel.
VIII				Exercc. gymn. moder. praecc., semel.
Hor. def.		Ius crim., quater. Ius gentt., ter.	De tumoribus, semel. Curs. pharmacol. Biologia, bis. Capp. sel. anat., semel. Morbi organ. uropoët., semel. Exercc. physiol. et histol., sexiens. Practicum therapeut., bis.	De sel. chem. loc., semel. Prax. chem., sexiens, duodeciens, triciens. De nutrimm. chem. examin., semel. Chem. physiol., ter. Excurss. botan., semel. Prax. mineral., sexiens. Petrogr., bis.

HOR.	THEOLOGICAE.	IURIDICAE.	MEDICAE.	PHILOSOPHICAE.
Hor. def.			Exercc. in pharmacol. therap. versantes. Techn. microscop., semel.	Orogenes., semel. Exercc. et excurss. geogr. Exercc. Aristot., bis. Archaeol. art. Graec., ter. Gramm. ling. Pers., bis. Rātnavalīm, bis. Declin. compar. lingg. Sanscr., Graec., Lat., semel. Exercc. Theod., semel. Isag. in stud. ling. Angl., bis. De stilo ling. Angl., bis. Theor. mus., bis. Cant. eccles., bis. De relat. harm. ac modul. et cant. eccl., bis. Ars delineandi, quater. Exercc. gymn., bis. De instrumm. gymn. Ars rudib. batuendi.